SEX. PROPERTII

ELEGIARUM LIBRI IV.

RECENSUIT

AEMILIUS BAEHRENS.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXX.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PROLEGOMENA.

Quibus difficultatibus Catulli et Tibulli recensio obnoxia est, cum eisdem Propertii quoque carmina luctantur, quippe quorum codex saeculo XIV ex monasterii alicuius tenebris protractus et descriptus iterumque obliuioni traditus triste sui desiderium reliquerit nobis, qui ex apographis recentibus utcumque ueteris illius testis memoriam resuscitare debemus cum summo labore taedioque ingenti. his libris mss. nouiciis a doctis saeculi XV Italis foedissimum in modum interpolatis cum anteriorum temporum philologi nullo discrimine facto uterentur, tandem ante hos sexaginta fere annos Carolus Lachmannus quid factu esset opus perspexit: examinandum quam diligentissime singulorum codicum pretium, ut quinam eorum lectiones archetypi fideliter seruarint qui interpolatione sint contaminati euincatur. hoc cum optimo iure ille flagitaret, tamen quomodo rite uereque perfici posset nec ipse habuit cognitum. sic factum est ut primum inter codices Propertianos locum adsignaret membranis Groninganis, quae sunt infimi ordinis, in proximo autem ab his gradu poneret Neapolitanas, quarum quam fallax sit fides ex mea editione apparebit. nam nec critici insecuti in hac parte quidquam profecerunt; et quamquam Lachmanni in aestimando Groningano error non latuit plerosque, tamen qui denuo in se susciperet munus sane quam difficile libros Propertianos uia ac ratione perscrutandi adhuc repertus est nemo, sed Neapolitanum iam unicum textus recensendi subsidium anxie amplexi, quasi nulli alii poetae codices essent, uel apertis illius erroribus coniecturas superstruxerunt suapte natura uentosas. ita vitium priorum, quibus omnes libri pari erant

honore, mutabatur in culpam non minorem, unius codicis eiusque mediocris uenerationem nimiam; et permultis locis, quibus quam maxime intererat certo nosse quid antiquitus esset traditum, incorrupta ab Italis scriptura ad hunc usque diem ignota fuit.

Quam uiam autem olim in Catullo [praef. p. XI sq.] ineundam esse demonstraui, eandem quemadmodum nuper in Tibullo sic nunc in Propertio tutissimam cognoui. quippe in his auctoribus, quorum ueteres codices perierunt, apographa statim post illos repertos facta indaganda sunt, quandoquidem a saeculi XIV hominibus etiamtunc afuit illa corrigendi interpolandique prurigo, quae inde a saeculi XV initio magis magisque inuasit doctos, et id multo usu expertus sum, quo quis liber nouicius magis recedat ab archetypi inuenti tempore, hoc eum plura uestigia et interpolationis et deprauationis praeferre. sed ad haec apographa antiquissima nanciscenda oportet non adquiescas in copiis a superioribus congestis (qui uel in definienda librorum aetate saepius errabant), sed opus est αὐτοψίᾳ et noua bibliothecarum perquisitione. et hac ratione progressus quid in Propertio quoque consecutus sim, gaudibundi ut auguror lectores iam intellegent.

Cuinam Italo protracti in lucem Propertii laus debeatur ignoratur*). primum Petrarcam constat Propertii exemplar possedisse: cf. M. Hauptius opusc. I p. 277 sqq. et inde ab huius tempore paulatim in hominum notitiam uenire coepit poeta Umber. bis autem saeculo XIV fere medio archetypum descriptum esse docent codices a me adhibiti, qui in duas discedunt familias. ad quarum priorem pertinent hi libri:

A = codex Vossianus latinus formae octauae maioris numero 38 insignitus, membranaceus, foliis constans sedecim linearum uicenarum quaternarum. exaratus est scriptura ea quae saeculum XIV clare aperteque indicat (circa a. fere 1360, ut mihi identidem examinanti est uisum) et compendiis non ita paucis, ad quae conlationem instituenti bene est atten-

---

*) meram esse fabulam Alexandri ab Alexandro narrationem de codice Propertiano a Iouiano Pontano reperto, dudum agnitum est: cf. Hertzbergius I p. 231.

dendum*). singula carmina interuallis non relictis cohaerent, ut tamen litteris initialibus sint distincta et tituli a rubricatore in margine additi. pertinet usque ad II 1, 63; nec tamen plenior erat tempore Burmanni, qui eum Vossianum secundum designat adnotatque olim P. Petauii fuisse. librum Groningam transmissum ipse a. 1877 contuli.

F = codex Laurentianus plut. 36, 49 formae quaternariae, membr., in foliis 73 linearum 28 solum Propertium exhibens, saeculo XV statim ineunte scriptus. in fine libri legitur *Liber Colucii pyerii*, deinde ab alia manu additum est *Liber Cosme Iohannis de Medicis*. Colucius igitur Salutatus, Florentinorum cancellarius notissimus, quem a. 1374 ex Petrarcae bibliotheca Propertium anquisiuisse [praef. ad Cat. p. X sq.] quemque a. 1406 mortuum esse constat, olim huius libri erat possessor. plurimae correcturae partim ex altera codicum familia partim ex Italorum coniecturis petitae uel supra lineas uel in margine (addito interdum illo *at*) adscriptae sunt a manu paulo recentiore, quae a nobis significatur *m. 2.* hic codex a me primo a. 1876 est conlatus, sed propter temporis quibus tum premebar angustias properantius; unde quae postea dubitationes locis nonnullis subnatae sunt, eas conciliante beniuole Domenico Comparetti eleuauit Nicolaus Anziani.

Hi duo codices ad unum idemque redeunt archetypi apographon litteris exaratum minutis saepeque lectu difficillimis et praeterea compendiis instructum multis. talem librum consentaneum est multo fidelius in A, eiusdem saeculi stirpe, esse redditum quam in F, cuius librarius aliae scribendi rationi adsuetus et linguae latinae parum gnarus erat. hinc plurimi in F errores explicandi (ueluti ex compendiis II 3, 26 *uirem* pro *matrem* = *mr̄em*, II 26, 9 *ferri* pro *fratri* = *fr̄i*); ob hanc causam etiam dolendum est quam maxime, quod hodie non integro A nobis uti licet. sic enim in ea parte, ubi solus F suppetit, saepe discerni nequit quid ipse eius scriba peccauerit quid ex exemplari suo sumpserit.

*) sic solita saeculi XIV abbreuiatione ex. gr. *um* plerumque per lineolam exhibetur (*c̄* = *cum*, *dem̄* = *demum*, *illar̄* = *illarum*, *corr̄pere* = *corrumpere*).

Alteram eamque adhuc incognitam familiam conformant hi libri:

V = codex Ottoboniano-Vaticanus 1514, membr., saeculi XIV exeuntis, formae octauae maioris, foliis constans 83, quibus solus habetur Propertius. olim, ut prima indicat pagina, collegii erat Iesuitarum Romani. correctus est hic liber a uariis saeculi XV doctis, quorum manus diuersas uno siglo *m. 2* comprehendit Augustus Mau, qui ut ceteros Propertii codices Vaticanos mihi examinauit ita hunc librum totum contulit cum labore hercle non paruo. nam correctores male seduli, non contenti in marginibus interque lineas adspersisse plurimas nouas lectiones (has quoque et ex prioris familiae codice aliquo et ex coniecturis promptas), etiam in ipso uerborum contextu saepe erasis pristinis scripturis suas infulserunt interpolationes. haeque rasurae et correcturae haud raro tam subtiliter sunt factae ut facile fallant oculos iterataque demum a Mauio inspectione detectae sint suppeditante mihi suspitionis ansam codice Dauentriensi. bona enim fortuna factum est ut aetatem tulerit liber per omnia fere cum **V** conspirans ibique, ubi huius manus prima incerta ac dubia est, genuinam lectionem indicans adeoque illi ipsi interdum praestans, scilicet

D = codex bibliothecae publ. urbis Neerlandicae Dauentriae, numero 1792 insignitus, foliis oblongis membr. 68 unum Propertium exhibens, pulcre nitideque scriptus in Italia intra a. fere 1410—20. in initio unum folium periit, unde a I 2, 14 incipit. nihil fere in eius textu correctum est, sed habet hic illic in margine a manu aequali uarias lectiones adscriptas*). clarissime autem **D** ostendit quantopere in his rebus ualeat recta aestimatio atque *αὐτοψία*. olim enim erat Petri Burmanni, qui eum alterum suum uocat protulitque inde in commentario lectiones plurimas. quas pro Italorum commentis accipiens Lachmannus Burmannianum alterum infimorum librorum ordini adscripsit [praef. edit. prioris p. XIV]. qui si ipse ob oculos habuisset **D** et dilectum sibi Groninga-

*) pauca, quae manus altera saec. XVII uel XVIII adnotauit, omnino non curaui.

num, sine dubio uel externo amborum habitu ad iudicium penitus mutandum facile adduci se passus procul abiecisset Groninganum, exosculatus esset Dauentriensem. est enim hic unus ex optimis codicibus Propertianis dignusque qui tandem suo reddatur honori. a rectore gymnasii Dauentriensis A. I. Vitringa, qui postea tres locos iterum comiter mihi examinauit, huc transmissum ipse a. 1878 excussi.

Ex eodem igitur saeculi XIV exemplari profecti **D** et **V** propriam constituunt familiam, quae priori illi (**A F**) ita ex contrario est opposita ut tamen ambae ex uno parente sint procreatae. nimirum quidquid in multis scripturis dissentiunt, in omnibus tamen rebus grauioribus fideliter concordant conspirantque; suntque discrepantiae tales quales existere solent ubi idem liber a duobus diuersae indolis hominibus describitur.

Ex his quattuor codicibus recte adhibitis (scilicet in **F** et **V** numquam a prima manu recedas) uetustus archetypus redintegrandus est. ingens autem uitiorum multitudo, qua illi laborant, cum non fugeret doctos saeculi XV Italos, extiterunt qui tollere corrupta et perpurgare textum susciperent; idque duobus modis est factum. nam et accersitis aliis libris suum quisque codicem emendabant et, ubi illi quoque defecerunt, ab ingenio requirebant auxilium. sic manus altera et in **F** familiae **D V** lectiones et in **V** eas quae prior classis proprias habet intulit; praetereaque et in **F** et in **V** multae alterius manus scripturae habentur, quae ex mera coniectura et temera interpolatione sunt profectae. quod nulli foret damno, si librarii insequentes has manus alterius correcturas et ipsi in nouorum exemplarium marginibus propagassent; sed eas in ipsum textum recipientes et duas familias confundebant permiscebantque et genuinam scripturam dabant obliuioni. hinc nati sunt codices interpolati, de quibus nunc agendum est. horum autem agmen ducit:

N = codex olim Neapolitanus, nunc Guelferbytanus [Gudian. 224], membr., formae octauae maioris, foliis 71 sola Propertii carmina praebens, in fronte titulo et porro singulorum librorum carminumque inscriptionibus carens ne interuallis quidem relictis, ut tamen litteris initialibus ubi nouum

poema incipiat indicatum sit. ad aetatem codicis quod attinet, inmane quantum extulerunt priores. ex quibus Lachmannus et Hertzbergius saeculo XIII uindicant, XII uel XIII Keilius [obss. crit. p. 3]. nihil enim certius quam saeculo XV scriptum esse eundem. quod accurata disputatione L. Muellerus [praef. p. VIII—X] ostendit; neque ego, cui ipse codex a bibliothecae Guelferbytanae praefecto humanissime transmissus per hos menses aestiuos praesto est, omnibus quae in momentum ueniunt cum cura deliberatis aliter iudico quam post a. 1430 illum exaratum esse. certe ipsae cartae non priores saeculo XV; et scriptura etsi obiter intuenti antiquior uidetur esse, saepe tamen formis litterarum nouiciis iuniorem prodit aetatem. neque tamen librarium studiose imitatum puto priscam scribendi rationem. litterae enim initiales coloribus quidem (uiridi maxime et rubro, etiam caeruleo) depictae, non tamen auro distinctae sunt, quo per saec. XV Florentiae maxime exornari solebant. dumque totius libri habitum saepius contemplor, in memoriam reuocata est imago codicum aliquot in Italia inferiore scriptorum. in hanc quippe terram serius inuecta est ars illa libros exornandi diutiusque in ea remansit litteratura antiquior, quae commixtis demum notis uetustis cum recentibus paulatim ibi cessit nouae. et quidni sumamus Neapolim fuisse patriam codicis nostri? legitur in ultima pagina litteris paene euanidis sed antiquis praeter alia a manu recenti scripta nomen *Manetti.* constat autem Iannoctium Manetti doctum non ignobilem Neapoli a. 1459 diem obiisse supremum. porro Neapoli codicem uidit contulitque N. Heinsius, a quo ille Neapolitani nomen accepit. haec autem de libri **N** aetate sententia egregie confirmatur interno eius pretio. deriuatus est ille quidem ex familia **A F**, sed lectiones huius proprias neque fideliter seruat accitis alterius classis scripturis (sic primo statim uersu *cepit* **N** cum (**D**)**V**: *fecit* **AF**) et, quod grauius est, plurimis locis Italorum correcturas recepit, non aequabili id quidem studio utque magis eligeret, siquid bene ei mutatum uideretur. neque enim, ut hoc adiciam, in illa critices infantia quidquam habet miri, quod cum multa uitia demerent alia mille relinquebant intacta; et in omnibus libris interpolatis hoc usu uenisse

uidemus, ut prout uaria lectio coniecturaue sese commendabat scribae reciperetur: constantiam scilicet iudicii a doctis illis in arte etiamtunc rudibus minime debemus exspectare. itaque praeterquam quod saepe secundae familiae scripturas elegit, **N** multas quoque coniecturas a manu secunda in **F** et **V** adscriptas inseruit textui. sunt etiam uersus nonnulli, quos siue de suo siue ex fonte nobis ignoto mutauit is qui **N** scripsit. quodsi talis libri tam suspecti uarias lectiones omnes in apparatu nostro critico exhibuimus, duabus id causis factum est. primum enim non inutile est uisum, manifesto ostendere exemplo quantum discrimen intersit inter bonos codices et interpolatos; deinde uero in longe maiore parte codex unicus **F** nobis repraesentat priorem familiam, cui plenius cognoscendae eiusdem stirpis liber **N** utpote interpolatorum optimus aliquid saltim confert. quamquam autem non ueremur ne quis prudens pertractata editione nostra honorem a prioribus tributum Neapolitano et ipse tribuat, tamen eorum causa qui minus in his quaestionibus sunt exercitati non superfluum uidetur adicere, nusquam quidquam esse dandum illius lectionibus eis quibus ceterorum librorum bonorum consensus obstat: ubi solus pro se stat **N**, sanae artis praecepta omnia suadent ne quid priscae scripturae forte fortuna seruatum statuamus, sed ut inmutatae quocumque modo ueteris memoriae uestigia agnoscamus*).

Multo etiam magis quam **N** interpolati sunt ceteri saeculi XV libri cogniti. nam et ei, ex quibus anteriores editores uarias protulerunt lectiones, et quos ipsi inspeximus per diuersorum itinerum opportunitatem aut de quibus uiri docti rogati nos certiores fecerunt, hi inquam codices omnes parui nulliusue pretii atque ex maiore parte proiecta uiliores sunt alga. nullus eorum alteram utram familiam pure sincereque reddit, sed textum ex utraque magis minusue conflatum nouisque turpatum et erroribus et interpolationibus

---

*) in sola re orthographica fieri potest ut libri **N** testimonia singularia fidem mereantur, cum in illa uel fidelissimi cetera librarii saepius suam secuti sint consuetudinem minimeque sibi constiterint. quare in his Neapolitani scribam haud indoctum certisque usum normis interdum meliora seruasse non inepte sumes.

exhibet. inesse hic illic bonas traditae scripturae emendationes certum est; sed eas non in alio quam reçentiorum philologorum commenta honore pretioque esse habendas sciunt periti. nam nec hodie desunt qui, si in deteriorum librorum aliquo deprehendunt lectiones suis coniecturis paululum fauentes, has in usum uocare non dubitant, potuisse illis antiquam scripturam seruari clamantes. quid quod etiam in hac saeculi nostri luce sunt qui, quia codices ut testes interrogare eorumque fidem explorare non didicerunt, omnes codices peraeque uenerari non desinant? nimirum semper erunt homines qui seuere cogitandi laborem refugientes in rebus difficillimis uagis dubiisque opinionibus duci malunt quam certa ratiocinatione per impedita et spinosa ad uerum peruenire. itaque, ut ceteros singillatim adferre omittam, neque Mentelianus [nunc Leidensis Bibl. Publ. Lat. 133 A] a me inspectus neque uero Groninganus [biblioth. acad. γ. a. 4] digni sunt uisi quorum uaria lectione onerarem apparatum. et hic quidem liber recentissimus (intra a. 1460—1470 scriptus est) undenam peculiares illas lectiones, quae prioribus tantopere imposuerunt, maximam partem sumpserit, ex nostra editione manifeste licet uidere (quippe Vaticanum potissimum eiusque manum secundam sequitur, praeter quem alios quoque libros interpolatos electione facta adhibuit praebetque adeo nouas aliquot coniecturas interdum bonas), ut de hac re post doctorum disputationes (cf. ex. gr. Grummius in programmate Auricensi a. 1868) iterum disserere nunc quidem plane superfluum sit. summopere autem mirandum est quod nuper A. Palmer [Hermath. III p. 124 sqq.] codici Scaligeri Cuiaciano anno 1467 Perusiae secundum subscriptionem exarato et Italorum figmentis referto aliquid pretii concedere eiusque sordibus superstruere coniecturas sustinuit. omnium enim codicum apertissime interpolationem Italicam praeferunt ei qui simul cum Propertio Catullum et Tibullum exhibent; ex quibus unus fortasse Hamburgensis ab Hertzbergio adhibitus eo nomine memorari meretur quod ex **F** iam correctorem passo neglegenter transcriptus est. — horum librorum deteriorum coniecturas potissimas ς siglo usi attulimus.

Licet autem nostris studiis id effecisse uideamur ut nunc

taudem ueteris libri saeculo XIV protracti scriptura incorrupta et infucata locis longe plurimis pateat, tamen posterorum sedulitati relictum est quo nostra suppleantur. laetabimur ergo, si familiae maxime **AF** noua exemplaria integra posthac continget e latebris eruere: modo ne stercus uendant pro auro.

Sed antequam ad alia transgredior, quomodo eorum librorum, ad quos Propertii recensio est derigenda, scripturam adtulerim exponam. quamquam enim orthographica minime spreui, tamen quaedam minutiora omisi. et primum **A** et **F** fere semper (minus constanter **N**) *e* pro *ae* habent; porro omnes codices passim *c* pro *t* (*precium, hospicium, uicium, tociens, spaciari* aliaque), *i* pro *y* (ut *cinthia*, pro quo *cintia* interdum **F**, *nimpha, lira*); neque ubiuis adnotaui, si *contempnere, sompnus* similiaque in **F** et **N** extant; fluctuantque eidem inter *litus* et *littus* (sic fere semper **ADV**); habent deinde *nanque, ianque, quicunque, nunquam, unquam, circundare* et id genus multa **DV** (raro **AFN**, qui plerumque *ū* praebent); *subiicere, traiicere* ectr. **DV** (non **AFN**) scribunt eidemque *moerere, moestus, proelia, foelix* alia; sed ex his *sed* recepi (*s;* = *set* saepe **AFN**); denique *michi* in **A** et **N**, *thaurus* in **F** obuium et huiusmodi quisquilias alias semper adscribere non ita anxie studui utpote in libris recentibus. neque omnes quas **V** *m. 2* praebet interpolationes commemoraui, sed potiores cognituque utiles.

Iamque quomodo duobus illis apographis ex uetusto codice (quem abhinc **O** significabo) factis sit utendum, de ipso **O** uariisque uitiis per temporum decursum in Propertii carmina inlatis et doctorum de studiis est exponendum.

Licet neutrum libri **O** apographum ipsum, sed sola utriusque exemplaria (unius **A** et **F** *m. 1*, quibus supplementi loco accedit **N**, alterius **D** et **V** *m. 1*) nobis adsint, tamen ex his certam amborum imaginem mente nobis conformare possumus. et in uniuersum quidem apparatum criticum perlustranti apparet, utrique familiae par uindicandum pretium neque esse cur alteram prae altera extollamus: suas ambae bonas malasque lectiones praebent. sic ex. gr. habent I 1, 1 *cepit* **V**:

fecit praue **AF**; I 2, 29 *dictis* egregie multoque significantius (cf. Ouidii met. XIII 127) **DV**: *uerbis* languide **AF**; I 8, 19 *utere* perbene **DV**: *ut te* **AF** ita ut adhuc pro desperato fuerit locus. contra I 3, 43 *leuiter* — *querebar* recte **AF**: *grauiter* — *loquebar* male **DV** itidemque aliis locis. in talibus igitur duarum familiarum discrepantiis internis rationibus oportet diiudicemus, in utra eorum **O** melius sit descriptus. haut raro quidem facili negotio inter se conciliari possunt diuersae scripturae: ex. gr. eodem redeunt I 6, 4 *memonias* **AF**: *in emonias* **DV**; II 5, 21 *periurae* **DV**: *periuro* **FN** ex summa litterarum *e* et *o* similitudine explicandum*). porro si ex. gr. II 24, 26 *et modo ab infido* **DV** tradunt, **F** autem illud *ab infido* omittit (quae causa erat correctoribus ut *seruato* uel *fallaci* similiaue adderent), hanc omissionem statim perspicimus euenisse inde quod eius apographi unde **F** descendit librarius a 'mo*do*' ad 'infi*do*' oculis aberraret. saepius tamen discrepantiae illae ex diuersa scribarum indole sunt repetendae: minore prudentia familiae **AF**, maiore alterius familiae parens insignis erat. sed ubi melior intellegentia, ibi periculum quoque adest ne scriba quamquam non agens correctorem tamen quodammodo inuitus pro suo captu corrigat obscura corruptaue archetypi uerba. sic II 1, 31 *attractus* in **O** fuisse putauerim idque ut sensui parum aptum in altero apographo in *tractus* mutatum; sic loco multorum coniecturis ut ingeniosis ita turbulentis obruto, qui legitur II 15, 25 sq.:

Atque utinam haerentes sic nos uincire catena
Velles, ut numquam solueret ulla dies,

---

*) sic etiam lectiones primo optutu ualde discedentes suam accipiunt lucem, ut II 34, 53, ubi *restabit erumpnas* **F** *restauerit undas* **DV** exhibent. puto in **O** fuisse *restabit undas* suprascriptis inter utramque uocem litteris quae uidebantur *er*; quas alter scriba ad *restabit* alter ad *undas* trahentes uaria descripserunt. unde fortasse simplicissima loci multum uexati emendatio est haece: 'restabit et undas', subiectum horum uerborum cum pendeat e u. 51 'nulla' et id quod est 'et' pro 'etiam' sit positum (cf. II 9, 18). **N** autem quid ualeat hoc quoque loco fit manifestum; 'erumpnas' enim, familiae suae lectionem, cum metro non conuenire uideret, omisit.

lectio *uelles ut,* qua ineptissime ad catenam fit adlocutio, in **DV** (indeque in **N** recepta) extat, cum **F** habeat *uellet ut.* et hoc in **O** olim lectum, illud ob metrum rescriptum esse si statuimus, meliore quam Itali successu sic emendabimus: 'sic nos uincire catena Vellet ut*i* numquam'; nam et frequentissime 'uti' abiit in 'ut' et fauet sententiae restitutae Pseudotibull. III 4, 15 sq.: 'sed potius ualida teneamur uterque catena, Nulla queat posthac nos soluisse dies'. sic denique III 11, 35:

Tres ubi Pompeio detraxit harena triumphos,

cum quo iure poeta u. 37 sq. subito ad ipsum Pompeium uerba derigat lateat, repudiabimus illud *tres ubi pompeio* a **DV** horumque adsecla **N** suppeditatum, et pro archetypi scriptura habebimus id quod **F** praebet *Hec tibi pompeio.* in quo datiuus 'Pompeio', cum praeterea 'tibi' ab 'ubi' uix discerni posset in **O**, effecit ut familiae **DV** parens reponeret illud 'tres ubi'.

Et haec quidem exempla, quae ex multis promere sufficit, id quod uolo docent: in duarum familiarum dissensu calculis ex unoquoque loco petitis debere discerni, utra lectio in **O** fuerit, neque per se alterutram classem praeualere. — pauca adiciam de ratione quae inter singulos utriusque familiae libros intercedat. et **F** quidem inde a II 1, 64 codicis **A** societate carentem ultro claret uel ibi fide dignum esse posse, ubi Neapolitani utpote ex altera classe interpolati consensu destituatur. maioris autem momenti illa quae interdum inter **D** et **V** obseruatur discordia. et hic fere **D** ipsi **V** licet antiquiori praestare putauerim, cum iam ab huius manu prima quaedam consulto inmutata esse uideantur. ueluti si I 8, 45 **AF** *summos,* **D** similiter *somnus* tradit (unde uel hoc uel illud in archetypo fuisse colligas), *certos* ex quo fonte et **F** *m. 2* in margine et **N** in textu habeat nos edocet **V** illud ipsum sine rasura praebens, fortasse ad II 29, 19 correctum. quamquam, alios locos si respicimus, nec hoc inprobabile fit, iam in librorum **DV** fonte quasdam in margine adscriptas esse siue uarias lectiones siue correcturas easque a **V** in textum receptas. utut hoc se habet, ubicum-

que **D** et **F** in aliqua scriptura consentire uidemus, hanc et archetypi fuisse tuto licet statuere.

Hucusque egimus de eis locis quibus propter familiarum dissensum quid **O** habuerit concludendo debeat erui. nunc ipse **O** cum hoc modo tum uero ex utriusque classis consensu indubitate restitutus contemplandus est. cum autem antea libris interpolatis usi non potuerint totam eius condicionem uere perspicere, nunc demum ea manifeste ob oculos nostros est posita. et quam multa, quae adhuc pro Propertianis habuimus, iam correctorum esse commenta agnoscimus! quot locis prius desperatis nunc detractis Italorum emplastris nudisque uulneribus retectis noua adhiberi potest medella! illi enim corrupta rectaque peraeque attrectantes duce arte modum in mutando tenere nesciebant. unam rem ex multis promam. Ouidii numeris mollioribus adsueti non tolerabant Itali, siquando poeta more aliorum [cf. Meinekius praef. ad Hor. p. 23 et L. Muellerus de re metr. p. 210] masculum uersibus uigorem addens quartum hexametri pedem ex uoce spondiaca uoluit constare; ueluti I 9, 31 'illis et silices et possunt cedere quercus' correctoribus 'possunt et cedere' et III 1, 19 'mollia, Pegasides, date uestro serta poetae' id quod est 'uestro date' suauius sonabat; et ita alibi quoque. haec aliaque multa temere ab illis inmutata in textum reponendo ut sua Propertio reddere licet, ita plerisque locis desperatis ueram adferre salutem, quando iam non fallacibus figmentis pro criticae exercendae fundamento uti debemus.

De aetate libri **O** certum aliquid pronuntiari nequit (saeculo fere X scriptura quam uocant langobardica eum exaratum esse mea est suspitio dubia), deestque etiam filum, quo duce historiam textus Propertiani ultra persequamur. sic certis indiciis deficientibus agendum est rationibus magis communibus. nam utile sane duco Propertium in integritatem restituturis, saeculorum **O** praecedentium habere respectum probeque reminisci uarias uicissitudines, quibus ueterum scripta inde ab antiquissimis temporibus erant obnoxia. neque enim unius, sed multorum librariorum erratis inmanis illa qualis in **O** conspicitur deprauatio tandem effecta est. et hos di-

uersos quibus corruptio inuasit gradus accurate, in quantum fieri potest, dinoscere non paulum prodest.

Videtur olim siue antiquitate exeunte siue in medii aeui initio unicus qui aetatem tulit Propertii codex miserrima tristissimaque condicione fuisse: quaterniones nonnulli e compagine dissoluti incerta sede uagabantur, folia multa partim exciderant partim falso loco inserta erant, paginis haud paucis scriptura characteribus constans maiusculis uetustate corrosa atque detrita. uoluminis laceri, perturbati, lectu difficillimi nouum deinde exemplar confecit homo quidam, qui pro uirili parte ex naufragio seruauit quae seruari potuerunt. transcripsit uerba quoad dispicere ualuit, extinctis et obscuratis e coniectura salutem reddebat, fragmina disiecta et discerpta coniungere et in ordinem redigere studuit successu non adeo felici, quia cum multa intercidissent genuinus conexus saepe eum latebat; restituit denique Propertium talem fere qualem nunc in **O** habemus (nam aliquas turbas tempore inter illum et **O** interiacenti prouenisse probabile est). hanc autem similemue fortunam Propertium subiisse hodie plerique consentiunt; pauci enim etiam nunc sunt creduli famoso illi Vulpii dicto, poetarum elegiacorum ueram et propriam *μέϑοδον* esse *ἀμεϑόδειαν*, sed quam compositionis artem in Ouidii atque Tibulli poematis agnoscere ac suspicere didicimus, eandem nostro iure in elegiographorum Romanorum principe flagitamus. et is est textus Propertiani status ut saepe sententiarum praua cohaerentia ultro incurrat in oculos prouocetque quodammodo succurrendi conamina. sed malo accidit fato ut uir magnus I. I. Scaliger, qui primus hanc opem tulit, noceret multo magis quam adiuuaret. nam cum manu audacissima eademque minime dextra plurimas carminum particulas sede sua euulsas in alium locum migrare iuberet, quid aliud consecutus est quam ut hoc genus emendandi omne infamaret et criticis cetera cordatis suspectum redderet? ut enim fit per naturam humanam, dum eius leuitatem anxie refugiunt, uel ibi transponendi remedium repudiabant ubi necessarium est*). ita autem sese res habet:

*) Scaligeri temeritatem nuper longe superauit homo in his studiis hospes, Dominicus Carutti, qui Propertii Cynthiam a. 1869 Hagae

uersuum traiectiones quaeque cum his coniuncta sunt iniuria apud multos doctos longo criticae exercendae usu destitutos male audiunt, iniuria a criticis nonnullis accersuntur ubi lenioribus medellis res peragi potest: in recto usu, ut cetera remedia omnia, et utilitatem et commendationem suam habent. apud Propertium cum frequenter filum sententiae subito interrumpatur, accidit hic illic ut circumspicientibus nobis in uicinia occurrant particulae, quas in suum locum restituendo iustum conexum efficere liceat. et hic adnotatu dignum puto, saepe particulas illas quattuor uersibus constare, unde uetustissimi illius libri formam fuisse minimam conicias. sed pluribus tamen locis frustra circumspicimus uincula, quibus fragmenta inter se copulemus: perierunt scilicet non ita paucae codicis illius antiquissimi paginae. in tali statu ea quae reciperare negatum est quaerere desinamus, ne malum quod profligare studemus intendamus potius atque augeamus: lacunae signa ponere quam uersus traicere in hoc poeta saepe tutius esse equidem scio.

Ad uerborum deprauationes diuersas adumbrandas transeo. ex prisco autem exemplari illo transcripta carmina Propertiana consentaneum est etiam uitia contraxisse ea quae ex litterarum maiuscularum forma explicantur. nolo multus esse

---

Comitum edidit. nam traditum carminum ordinem plane euertit, non solum omni probabilitate neglecta, sed etiam argumentandi genere paene puerili usus. ueluti legens in secundo libro (eleg. 16) 'o me felicem, o nox mihi candida' et porro in tertio (eleg. 20, 11) 'nox mihi prima uenit' cum nisi poetae tum primum Cynthia potito non conuenire putaret, homo mirifice acutus statim haec carmina in initium primi libri a se reficti intrusit. quasi uero nulla umquam inter amantes discidia fuissent neque Propertius, ubi edito libro primo cum Cynthia in gratiam rediit, reconciliationis tandem factae gaudium in eos qui elegia II 16 continentur uersus effundere potuisset! alterum autem carmen (III 20, 11 sqq.) diligenter perlege: locutiones quales extant u. 16 'amore nouo' et u. 26 'nouo toro' eo referes quod pace facta in breue tempus amor integratus erat, cum praesertim foederis tunc icti leges statutae poetam iam multa acerba in puella sua expertum esse ostendant. tali leuitate (neque enim cetera Caruttii commenta plurima sunt meliora) si quaestiones impeditissimae tractantur, uerendum est ne haec antiquitatis studia tota mox in ludibrium uertantur.

in re perspicua, cum praesertim eiusmodi nonnulla iam ab aliis doctis sint obseruata; data potius occasione utar ut unum locum illa ratione sanatum copiosius hic tractem. III 22, 11—16:

Tuque tuo Colchum propellas remige Phasim
    Peliacaeque trabis totum iter ipse legas, — —
At si qua origе uisenda est ora Caystri
    Et qua septenas temperat unda uias.

nulla ex coniecturis propositis ita se commendat a mutationis facilitate ut secure in ea adquiescere possis; neque adhuc satis respexerunt ad graue illud 'tuo propellas remige', quod mihi quidem ita tantum uerbositatis crimen effugere posse uidetur, si abhinc habet cui respondeat. tales oppositiones ut in deliciis erant ueteribus, ita Propertius in carmine ad eundem Tullum dato [I 6, 33] scripsit 'seu pedibus terras seu pontum carpere remis ibis'. quodsi in hoc quoque altero membro eum dixisse sumimus 'seu tibi terrestri itinere adeundae sunt regiones Caystro adiacentes circaque Nili ostia sitae', tamquam magica quadam uirga contactae uoculae 'qua origе' in pristinam formam 'quadrige' redeunt: nempe O pro D legit librarius. reminiscaris autem uelim locum Horatii [epist. I 11, 28] 'nauibus atque quadrigis petimus bene uiuere', ubi uoce illa itidem nauibus opponuntur uehicula, quibus in terra fit iter*). iamque reciperare licet ueram poetae manum. nam in initio uersus cum pro 'at' correctores Italos secuti uulgo 'et' scribant, melius Fonteinius 'aut' posuit; 'quadrigae' uero per se parum aptum (a Tullo enim in quadriga posito uisuntur regiones illae) lenissime ita mutetur ut duo potissima miracula per 'et — et' discernantur: 'aut si quadriga et uisenda est' eqs, scilicet 'tibi', quod ipse loci tenor suppeditat.

Porro in prisco illo codice uerba multa obscura fuisse et lectu difficillima supra dixi, quorum aliquam speciem expresserit imitando is qui descripsit. hoc quoque lubet aliquot locis ostendere. I 19, 17—20:

*) postea uidi iam Scaligerum 'quadrigae' proposuisse, sed interpretatum esse 'quattuor urbes Ephesi nobiliores, Ephesum Smyrnam Colophonem et Miletum'. hae sane nugae ineptiaeque sunt ridiculae.

Quamuis te longae remorentur fata senectae,
Cara tamen lacrimis ossa futura meis.
Quae tu uiua mea possis sentire fauilla!
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.

his quattuor uersibus nouissimus editor cruces illas praeposuit, quae locos insanabili uulnere adflictos designant. temptemus num fauente dia Critica desperatis uitam reddere liceat. mortis sibi instantis cogitatione misere agitatus poeta uel post obitum se Cynthiam esse amaturum profitetur, nec ab ulla apud inferos heroine formosa hanc constantem fidem eripi sibi passurum. iam pergit: quodsi post longum tempus morieris, tum mortua quoque mihi umbrae cara eris, dulcibusque te excipiam lacrimis*). prudenter Propertius id quod est 'tu mortua' imagine sibi adamata expressit per uocem 'ossa' (scil. 'tua'), sic transitum ad uerba sequentia sibi praeparans; nam ad 'ossa' spectat uox 'quae'. sed haec Cynthiae uita defunctae ossa cur poeta optat ut sua fauilla reuiuiscant? quomodo hoc fieri licuit? quid hoc ad sequentia, in quibus ueretur ille ut Amoris culpa umquam suus cinis cum puellae cinere coniungatur? uerba igitur 'tu uiua mea possis' sana esse nequeunt. rem autem sibi gratam iocundamque cupere debet is cuius deinceps haec sunt uerba 'tum mihi non ullo mors sit amara loco'. et quid ille desideriis suis efflagitat? scilicet ut Cynthia mortua secum sit et 'mixtis ossibus ossa terat' (IV 7, 94 et II 13, 39 sqq.). uidesne aliquid? damnum nescioquod in uetere exemplari ceperat medius uersus, quod utcumque eleuauit qui descripsit. melius, nisi fallor, ita eleuasset: 'quae *cum mixta* mea possi*m* sentire fauilla', in quibus sentiendi uerbum inlustrabit comparatus locus qui extat II 13, 41 sq. addo ex prioribus criticis unum Astium ueritati quam proximum fuisse, cum coniceret 'quae si, uita, mea possis miscere fauilla'; nec tamen mutationem intra suos cohibuit fines. — II 2, 9—12:

Qualis et Ischomache Lapithae genus heroine
Centauris medio grata rapina mero.

*) 'lacrimis — meis' (= lacrimanti mihi: cf. I 3, 46) accipiendum est de guttis, quas elicit laetitia. de umbrarum lacrimis cf. ex. gr. IV 7, 69.

Mercurio satis fertur Boebeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.

Cynthiae pulcritudinem celebraturus poeta eam cum Pallade heroinisque formosis comparat. sed pessime ista comparatio euasit in parte posteriore, editoribus si credimus. u. 11 Calderino auctore 'Sais', u. 12 suadente Turnebo 'Brimo' uulgo scribunt. sed enim Saidi, id est Mineruae Aegyptiacae, nil commune esse cum Brimo siue Persephone cumque Boebeide lacu, recte animaduertit Schneidewinus [Philolog. I p. 384]; nec admitti 'Sais' a producta priore syllaba*). nec Brimo maiore iure huc inlata est; in qua inlustranda Schneidewinus nil profecit. quidquid fabulae ab auctoribus recentibus prolatae de liberis a Mercurio cum Hecate procreatis narrant, Brimo tristis et seuera erat dea, quam inuitam et reluctantem stuprum esse passam constat; neque quod hac a parte Hertzbergius protulit refutatum est. absonum est autem, cum furua illa dea conferri Cynthiam. unde cum etiam uu. 9 et 10 imaginem non plane perfectam continere uiderentur, oborta est suspitio, unicam uersibus 9—12 inesse imaginem, leniter illam obscuratam in uerbis 'Mercurio satis': nam alterius familiae scriptura 'Mercurioque satis' ex metri adiuuandi studio nata. et, ut nunc uideo, iam A. Palmer [Hermath. I p. 171 sq.] simili ratiocinatione ductus Burmannumque ex parte secutus proposuit 'Pirithoo Ossaeis fertur'. sed hoc est nimis uiolenta moliri. nam minore negotio ductus euanidos, quos librarius non expediuit, ita redintegrabimus:

Sera uiro sacris fertur Boebeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.

ad unam igitur Ischomachen uu. 9—12 spectant. quae cum exorto tumultu fugisset ad uicina Boebeidos fluenta, ibi cum Pirithoo pugna finita nouam nuptam quaerente conuenit. egregie autem, ut nostra fert opinio, uoces quae sunt 'sera' et 'primo' depingunt dulce illud desiderium, quo tandem puella amans cum uiro amanti post tot discrimina miscetur ineunturque conubia disrupta. Pallada autem decorae maiestatis

*) Schneidewino accedens Hauptius pro 'satis' reposuit 'talis', non bene, cum 'qualis' potius sensuum nexus requirat.

plenam et Hippodamiam amoris aestu flagrantem componere cum Cynthia, dignissimum Propertio. ceterum 'sacris' pro 'satis' auctore Passeratio dedi, quamquam alia non minus in rem apta (ut 'tutis') excogitari possunt. et haec quidem hactenus.

Uberiorem disputationem in hoc poeta flagitant interpolationes. quae quo tempore (antiquo medione aeuo) prouenerint exputari nequit; nec refert scire, modo adesse eas optineatur. cursim tangam minutas illas scribarum correcturas, quales in omnibus fere codicibus locum habebant: sic II 13, 47, ubi in uerbis 'Qui stam̄ longae' deprauatum est 'Quis tam', necessario pro 'longae' reposuerunt 'longaeuae'; sic II 26, 28 uoce 'durare' in 'dare' corrupta alterum 'multa' addidere; sic III 5, 14 'at inferna rate', cum semel 'ad' exaratum esset, hoc lene uitium traxit cetera uerba; sic III 13, 9 pro 'arma maritas' cum scriptum esset 'arma ritas', uocabuli fragmentum in 'pudicas' refecerunt. minutae huius interpolationis ut in quouis scriptore, ita in Propertii carminibus multa extant exempla; grauior illa, si formae rariores depulsae uulgaribus, si lacunae temere expletae, si uerba tradita a scriba parum perspiciente ex lubidine inmutata sunt. et huius quidem generis inlustrissimum exemplum habetur III 1, 27, qui locus felici G. Wolffii acumine ita sanatus est:

Idaeum Simoenta Iouis cum prole Scamandro,

ubi Idae mentio librarium male doctum induxit ut suae sapientiae documentum foedum propagaret 'Iouis cunabula parui'. — in clarissima autem luce interpolationem late grassatam ponunt grammaticorum ueterum testimonia. a quibus licet pauci, quod iure doleas, Propertii uersus adlati sint, tamen uel ex his paucis quam male sit habitus textus noster manifestum fit. II 33, 37 lectionem 'demissae — sertae' Charisius, III 8, 37 'nexisti' Priscianus ita testantur ut de horum erroribus cogitari nequeat: uulgaria 'demissa — serta' et 'tendisti' O exhibet*). sed ut in his uersibus, si deessent

*) miror Maduigium [Aduers. Crit. II p. 65] in forma 'sertae' aliquid reconditioris sapientiae odorari. a compluribus optimae aetatis scriptoribus eam usitatam fuisse docent grammatici ueteres. fuit haec

testes illi, patienter ferremus codicum scripturam, ita sine dubio aliis locis exquisita cesserunt tritis, quae nunc tolerare debemus deficientibus firmis suspitionum causis. uelim tamen hinc quoque docti nimis cauti timidique discant quam sit peruersum etiam ibi, ubi certis uel probabilibus rationibus Propertio indigna euincuntur, tradita tueri potius quam inmutata una alteraue litterula bona restituere. — plurimas autem interpolationes in Propertii textu procreauit studium lacunas explendi. praeponam ceteris exemplum apertissimum. II 31, 5:

Hic equidem Phoebo uisus mihi pulcrior ipso
 Marmoreus tacita carmen hiare lyra.

id quod est 'equidem', ut apud Tibullum Propertium Ouidium legere me non memini, ita nusquam a bonis quidem scriptoribus cum tertia persona coniungitur; id quod post Bentleium diligenter persecutus est Henricus Iordanus libri sui 'Kritische Beitraege z. Gesch. d. lat. Sprache' inscripti pgg. 314 sqq. nec Marklandi commentum 'quidam' hodie quisquam probabit, postquam scholiastae Cruquiani [ad Hor. epist. I 13, 17] narrationem ut fabulam anilem recte spreuerunt; et uoce 'quidam' inuerecunde designatur Augustus. elegantissima autem coniectura, licet timide prolata, Hoeufftius [Peric. Crit. p. 38] reddidit poetae: 'hic *Phoebus* Phoebo uisus mihi pulcrior ipso'. manibus tenes interpolationem tum factam, ubi 'Phoebus' ante uocem subsequentem periit. similiter autem 'quidem' inculcatum est II 3, 39 sq.:

Digna quidem facies, pro qua uel obiret Achilles
 Vel Priamus: belli causa probanda fuit.

is est horum uerborum nexus ut quae u. 39 leguntur non possint non referri ad Helenam, contra mentem poetae, qui Cynthia perire pulcrius futurum fuisse Troiae modo indicauerat. itaque postquam se intellegere quidem dixit, cur Menelaus formosam uxorem reflagitaret Parisque reddere nollet, iam iusta ad maius adscensione pergere debuit, solam tamen Cynthiam uere dignam esse, pro qua et iuuenes et senes,

causa inter alias, cur carmen elegans 'de mensibus' [Poet. lat. min. I 12] aeuum Augusteum quam proxime attingere statuerem.

Graeci Troianique, mortem oppeterent. huiusmodi ab Helena ad Cynthiam transitus cum ex uerbis 'digna quidem facies' nullo pacto eliciatur, 'quidem' uocem abire iubeamus eo unde malum pedem intulit lacunamque quae olim fuit sic potius expleamus 'digna *sed haec* facies'; quo cum adludatur ad u. 34, Cynthiam dici apparet. de 'sed' transposito cf. ex. gr. I 4, 11. — I 11, 9 sqq.:

Atque utinam mage te remis confisa minutis
  Paruula Lucrina cymba moretur aqua,
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
  Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam uacet alterius blandos audire susurros
  Molliter in tacito litore compositam.

'Teuthrantis' Scaligeri est coniectura inprobabilis; nullo enim ueterum auctorum testimonio constat, eo nomine fluuium lacumue in regione illa situm esse appellatum. neque illa admissa ceterae quas uersus habet difficultates tolluntur. nam quid hoc noui est, per deos te oro, 'in unda lympha te teneat'? suadet poeta puellae suae, ut uitato litore luxurioso aquas circa Baias sitas ut magis recedentes ita tutiores adeat, ubi nauiget natetue. hinc alterum lacum, qui aeque ac Lucrinus Bais sit uicinus*), si quaerimus, sponte se offert nobis Acherusius, in quo praesertim ab Agrippa inmutato terroribusque suis priuato lauasse Romanos hodieque testantur balneorum reliquiae frequentes. et huic adprime conuenit lympha natantibus cedere facilis; nam *τῆς θαλάσσης ἀνάχυσίς τις τεναγώδης* Straboni audit. hinc ineptae uoci 'in unda', hinc corruptae 'teutantis' siue 'tuetantis' (ita enim codices) opitulandum. illud autem reposuisse puto interpolatorem, postquam 'Auerni' ante 'alternae' omissum lacunosum reddidit textum. lege igitur: 'aut teneat clausam *te uix flutantis*

---

*) hinc apparet quam peruerse A. Palmer [Hermath. I p. 166] coniecerit 'teneat clausam Sinuessae nantis in unda'. quid enim, ut cetera mittam, Sinuessae cum regione Baiana? data autem occasione docto illi Anglo, qui nuperrime [Herm. VI] Catulliana edidit, sum auctor ut abhinc iustitiae potius ueritatique quam popularium gratiae studeat et in arte critica factitanda sibi magis diffidat quam aliis uiris doctis licet extraneis.

Auerni Alternae facilis cedere lympha manu'; uel, si uocem Lucretianam Propertio obtrudere uereris praeter necessitatem, 'fluitantis'. — III 11, 15 sqq.:

Aurea cui postquam nudauit cassida frontem,
Vicit uictorem candida forma uirum.
Omphale in tantum formae processit honorem eqs.

multa in Propertio tulere docti, sed quod hoc loco formae uocabulum duobus uersibus sese excipientibus otiosissime ingratissimeque tulerunt repeti, nimiae hercle indignandaeque patientiae esse puto. quid quod per se inepta est uox illa loco superiore? Penthesilea cum cassidam poneret, heros non formam (quae est totius corporis), sed os admirabatur: uidit uultum rubore uirgineo suffusum, uidit oculos truces simul dulcesque. expunge igitur formam illam duplici nomine deformem ut ineptum supplementum reddasque Propertio, quo et oppositio et allitteratio hic quidem pulcherrime quaesita perficiatur quoque simul lacunae origo pateat: 'uicit uictorem candida *uirgo* uirum'. nam potuisse 'uirgo' trochaice a nostro poni notum est (cf. III 9, 35 'findo carina' aliaque). — II 22, 33:

Ille uel hic classes poterat uel perdere muros.

absurdissimum dicendi genus tantum abest ut Hertzbergius exemplis adlatis inlustrauerit, ut in clariore luce posuerit deprauationem. nam ante omnia deest hoc loco singulorum membrorum παραλληλισμός omnibus eiusmodi locis anxie obseruatus: 'ille' ad Achillem (u. 29 sq.), 'hic' ad Hectorem (u. 31 sq.) spectat, ut heros Thessalus classem Graecorum, Troianus patriae urbis muros perdere posse dicatur. ea porro huius enuntiati est conformatio ut utrumque ab utroque perfici quiuisse nobis persuadeamus. neque huius sermonis uitiosi culpam Propertio dare equidem ausim, quippe cui post uocis 'illi' (siue 'illei') in 'ille' deprauationem uersus iam una syllaba mancus manum interpolatricem passus uideatur. si reposueris 'ill*i* *uel* classes potera*nt* uel perdere muros', ultro lectores ad suum utrumque colon subiectum referent. — II 29, 1 sq.:

Hesterna, mea lux, cum potus nocte uagarer
Nec me seruorum duceret ulla manus eqs.

uocem 'hesterna' aperta fronte cum fine carminis pugnantem Heinsius plaudentibus editoribus plerisque in 'extrema' refinxit mutatione facillima felicissimaque. sed etiamnunc remanet scrupulus maximus in uerbis 'mea lux'. nam in reliquo poemate Propertius Cynthiam nusquam adloquitur, immo de ea tamquam tertia persona uerba faciens atque ipsam introducens loquentem causam discidii narrat lectoribus. quod quibus iustae offensioni erat, ei inde a u. 23 nouam elegiam incipere putabant. hanc rationem ut olim a Guyeto ita nuperrime ab Eschenburgio Rossbergio Sandstroemio initam si sequimur, duos pannos nanciscimur, quorum alteri caput desit. ita enim haec pars posterior priorem excipit continuato narrationis filo ut, si in codicibus duae inuenirentur elegiae, multo plures criticos aperte cohaerentia coniungenda esse clamaturos credam. Cynthia postquam totam per noctem Propertium frustra expectauit, cum ille luce appropinquante tandem ueniret, irata tamquam num ipsa sola cubaret speculaturum in longum tempus exclusit. iam in gratiam cum amasia rediens poeta hoc carmine, quo minus ipsum factum negare potuit, eo magis foedam illam suspitionem (se quasi speculatorem adfuisse) diluere studuit: bene potum et comissantem se ab ipsis Amoribus tamquam puellae famulis deductum domum eius intrasse, aditurum, modo sola esset; et dum crimina a Cynthia sibi obiecta exponit, simul et ueneres eius et castitatem feminae commotae blanditurus pulcre depingit finemque facit sanctitatem amoris sui testificando miseriasque ex illo tempore perlatas commemorando. nunc lege mihi elegiam cum arte affabri compositam: quam parum in duas discindi particulas patiatur agnoscas oportet. itaque uerba 'mea lux' suspecta iudicabimus*). et ecce subuenit ipse **O**; nam et **D** et **F** 'modo lux' praebent, **V** autem 'mea lux' ita ut 'mea' sit in rasura scriptum (unde et **F** marg. m. 2 et **N** in textu illud exhibent). lectio igitur antiquitus tradita est 'modo lux'; in qua 'modo' egregie se habet, cum saepius apud Propertium ea uox significatione late patenti

*) Fonteinius praeter alia (nam in uoce 'hesterna' non offenderat) coniecit 'infelix'.

id quod est 'nuper' exprimat: cf. ex. gr. II 16, 37; II 34, 91. mutauit autem illud 'modo lux' per se sensu cassum libri **V** corrector secundum II 28, 59. sed quomodo nos, qui ipsum illud 'modo' quam maxime retinendum intelleximus, totum locum reddemus integritati? nimirum remoto Italorum figmento et ipso **O** reciperato nouam interpolationem deprehendimus antiquo tempore inlatam. sic enim ego statuo, uoculam 'lux' et ipsam olim inculcatam esse ab eo qui in suo exemplari nil nisi 'hesterna modo cum potus nocte uagarer' inuenisset: sumpsit syllabam deficientem ex eodem quo postea corrector Italus fonte, parum ille quidem sollicitus de latinitate balbutienti. accito autem commento Heinsiano unaque litterula 'p' adiecta ita uersum refinxi: 'Extrema modo cum *per*potus nocte uagarer'. nam perpotandi uerbum quam belle conueniat extremae nocti (cf. u. 23), tute, lector candide, lubenter concedes. — III 14, 11—20:

Gyrum pulsat equis, niueum latus ense reuincit
  Virgineumque cauo protegit aere caput,
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
  Thermodontiacis turba lauatur aquis;
Et modo Taygeti crines aspersa pruina
  Sectatur patrios per iuga longa canes;
Qualis et Eurotae Pollux et Castor harenis,
  Hic uictor pugnis, ille futurus equis,
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
  Fertur nec fratres erubuisse deos.

imaginem uu. 13 et 14 propositam iure perhorruerunt critici anteriores, neque quidquam uidi infelicius commento Lachmanni uocem 'lauatur' commatis includentis *); quasi uero antiquorum scriptorum non prima fuisset lex uerba clare perspicueque ponere, nondum scilicet exculta ea qua nos hodie utimur interpungendi ratione. in descriptione instituta

*) falsum esse Lachmannum eo quoque euincitur quod 'lauantur' potius in **O** extitisse probabile est. nam 'lauatur', quod **FN** habent, nemo umquam Italus in 'lauantur' mutare animum induxit, contra 'lauantur' (**D V**) facile expeditiori illi 'lauatur' cessit. huius autem 'lauantur', qui est mos Propertii, subiectum esse potest 'turba', non potest esse puella Spartana, quae per u. 3—12 et 15, 16 regnat.

uu. 15 et 16 suum post u. 12 locum flagitant, ut rite procedat narrationis ordo; tum demum lauationis recte fit mentio. quamquam nec nunc uu. 13 et 14 coeunt cum ceteris; unde doctorum in uoce 'lauatur' corrigenda conamina cassa. nam alibi latet uulnus. ubi enim data opera Spartanarum uita moresque depinguntur, ibi Spartae genitos Castorem Pollucemque et Helenam accersi in comparationem ('qualis et Eurotae' eqs) equidem non concoquo; mirorque illud quoque, quod Helena nudis papillis arma capiens fratres deos non erubuisse dicitur. nam, qui ueterum mos erat, nulla hic ulli heroinae causa erubescendi. itaque grauius aliquid, quod ceteris praeter Spartanas feminis merito fuerit pudori, expectamus. per omnia fere Propertius persecutus erat uirginem Lacedaemoniam: nuda in palaestra una cum uiris exercet corpus, equitat, armata est, uenatur. quid iam restat? dicam tibi poetae uerbis a me ex coniectura restitutis: 'qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodontiacis turba lauantur aquis, *t*alis et Eurotae Pollux et Castor harenis (scil. lauantur), inter quos Helene' eqs. lauari Spartanas simul cum uiris narraturus Propertius profert exemplum e fabulis petitum. at, inquis, huc non faciunt uerba 'nudis capere arma papillis'. bono esto animo primumque omnium agnoscas Italorum fabricam: 'nudis ('est' add. **F**) armata capillis' praebet **O**. non bene autem Itali 'papillis' restituentes in utraque comparationis parte eandem notionem recurrentem fecerunt: non 'capillis', sed id quod est 'nudis' correctione indiget. mecum repone 'fluidis — capillis': habebis quod in puella lauanti apte commemoretur. restat igitur emendandum 'armata'. cui uoci quidnam subsit dictu difficillimum; et postquam omnia temptaui, tandem eo perueni ut 'armata' ab interpolatore insertum esse statuerem reficiendae lacunae. dedi quod certe non indignum est poeta 'fluidis *uersata* capillis'.

Et haec quidem de interpolationibus; nam num integri uersus a mala manu suppostorum in textum sint inlati, admodum dubito. proxime autem cum illis coniuncta sunt glossemata, quae et ipsa nunc tractare non carebit utilitate. neque enim raro in Propertio interpretamenta siue in mar-

gine siue inter lineas adposita irrepsere in textum. sic I 18, 15 'flendo' ad u. 16, sic II 14, 6 'soror' ad uocem 'Electra' adscripta expulere genuinam lectionem; sic IV 4, 47 glossa 'pugna' supra 'cessabitur' addita peperit ineptum illud 'pugnabitur'. quo eodem remedio caute adhibito non dubito quin nonnullae corruptelae grauiores tolli possint. pauca dabo exempla. I 11, 1—4:

> Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bais,
> Qua iacet Herculeis semita litoribus,
> Et modo Thesproti mirantem subdita regno
> Proxima Misenis aequora nobilibus eqs.

uersu ultimo egregiae Scaligeri emendationi inmerito ab huius saeculi editoribus spretae '*et modo* Misenis aequora nobilibus' suum restitui in textu locum. nam inepte in mediis Bais (hoc est, in media urbe) cessare Cynthia dicitur, traditam si sequimur scripturam; recte dicitur, ubi Baias inter duos locos medias intellegimus. nimirum in semita Herculea ambulantibus ex una parte mare Thesproti regnis, ex altera mare Misenis subiectum conspiciebatur. est autem illud 'proxima' glossa uocis 'subdita', quae recepta contortam fecit uerborum structuram effecitque ut plane singulariter ei quod legitur u. 3 'et modo' desit cui respondeat. — II 32, 33—36:

> Ipsa Venus, quamuis corrupta libidine Martis,
> Nec minus in caelo semper honesta fuit,
> Quamuis Ida Parim pastorem dicat amasse
> Atque inter pecudes accubuisse deam.

false Parim Veneris amatorem fingi cum non lateret doctos (ex quibus optime de loci difficultate disseruit Hauptius opusc. II p. 60 sqq.), certatim Pari eiecto Anchisen restituebant *). Schraderi autem inuentum 'Phrygem pastorem', etsi ceteris praecellit, tamen quomodo in scripturam codicum abire potuerit non ita liquet. quae mendi origo manifesta

*) unus his ultimis annis A. Palmer [Hermath. V 261] nihil ut totius loci ita uersuum 37—40 pondus respiciens Paridis cum Oenone amorem ab hoc loco alienissimum intrudebat ita 'Pegasida Ida Parim', ne noua quidem coniectura, cum iam dudum Astius similia ('Pegasi, te Ida P. p. dicit — deae') futtiliter coniecisset.

fit si 'suum pastorem' a Propertio uenisse sumimus eique a semidocto scriba, qui de Paridis in Ida iudicio legerat, 'Parim' suprascriptum esse: nouimus enim hominum genus (cf. p. XX). et a Romanis lectoribus statim intellegebatur illud 'suum pastorem', quoniam praeter Anchisen non agnoscebant fabulae alium Veneris in Ida amatorem. — porro uerum uidisse puto Heinsium, cum III 11, 17 sq.:

Omphale in tantum formae processit honorem
  Lydia Gygaeo tincta puella lacu,

ubi Itali uitium prosodiacum 'et' inserendo sanabant, 'Omphale' meram esse glossam pronuntiaret. nam heroine illa sat designatur uerbis u. 18, amatque Propertius in talibus magis circumscribendo indicare quam disertis uerbis nominare. sed certam, cui in textu locum adsignarem, emendationem reperire nondum contigit*). — III 17, 27 sq.:

Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
  Unde tuum potant Naxia turba merum.

deest in hexametro uerbum; nec illud 'Naxon, unde Naxia turba' Propertius scripsit. quod qui animaduertit A. Palmer [Hermath. I 162 sq.], is hic quidem feliciter ex 'mediam' elicuit priscum Naxi nomen 'Diam'; cuius uocis interpretamentum 'Naxon' primum ultimam uoculam sede sua mouisse et deinde in textum receptum etiam corruptionem illius 'Diam' effecisse recte statuit idem. sed cum conicit 'flumina saxis', alteri uitio non medetur. neque enim, quod ille sibi persuasit, e u. 26 'desiluisse' adsciscere cogitatione licet itaque reposui 'flumina nasci'; et concedas oportet, ob tantam similitudinem hoc 'nasci' multo facilius glossa 'naxon' potuisse hauriri.

His apte adiciam, etiam locos παραλλήλους in margine adscriptos interdum deprauationum causas fuisse uideri, ut ad II 1, 58 adpositum I 2, 8 et ad IV 1, 61 fortasse adnotatum 'dura corona' ex III 1, 20.

---

*) prauum est quod A. Palmer [Hermath. V p. 261] excogitauit 'Iardanis'; quattuor enim syllabarum uocabulum graecum fecit trisyllabum, quae libertas ultimae tantum antiquitatis poetis concessa: cf. L. Muellerus de re metr. p. 261.

Ad alia uenio. nam erat etiam scriba quidam, cui saepius accidit ut uocabulum aliquod iam descriptum et memoriae inhaerens paulo post pro altero simili iterum poneret; ueluti IV 4, 39 sq. dedit 'in patrios Scyllam *saeuisse* capillos candidaque in *saeuos* (pro 'foedos') inguina uersa canes'. disseram de aliquot locis, ubi hoc deprauationis genus, partim culpa Italorum, adhuc fefellerit doctos. II 34, 43 legitur in **O** (omissis ceteris uitiis):

Desine et Aeschyleo componere uerba cothurno,
  Desine et ad molles membra resolue choros.
Incipe iam angusto uersus componere torno eqs.

alterum 'componere' audacissime Itali in 'includere' correxerunt, ego in 'compescere' mutaui, quo et mendi γένεσις declaretur (nam similia maxime uerba fortunam supra expositam subiisse apparet) et uocabulum uere Propertianum restituatur. — II 28, 21 exhibet **O**:

Andromede monstris fuerat monstrata marinis.

hic quoque Italorum commentum 'deuota' nimis uiolentum est, tutiusque reponetur 'sacrata', quod compendiose scriptum errori aliquam ansam dare potuerit. — IV 7, 19 sq.:

Saepe Venus triuio commissa est pectore mixto,
  Fecerunt tepidas pectora nostra uias.

uulgo Italorum coniectura 'pallia nostra' in textu exhibetur inficetissima quamque tam diu tolerari potuisse iure mireris. unus erat uir doctus qui 'praelia' commendaret, uocem in Venere clam raptimque per uiam commissa nec ipsam sat idoneam. expulit autem 'pectora' e praecedenti linea repetitum id quod in hac re usitatissimum est 'gaudia' siue potius 'furtaque', quo recepto etiam copulam paene necessariam lucramur. ceterum interpunctione mutata 'pectore mixto' coniunxi cum prioribus; designatur enim genus coitus, quale ipse locus indicabat. — III 24, 25 sq.:

Nil moueor lacrimis: ista sum cautus ab arte:
  Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.

'ab insidiis' latine ualet 'post insidias', cum requirat sententia 'si insidias struis'. quapropter genuinum 'ad insidias' secundum id quod proxime antecedit 'ab arte' deprauatum puto. — III 21, 31 sq.:

Aut spatia annorum aut longa interualla profundi
Lenibunt tacito uulnera nostra sinu.

praua est illa distinctio per 'aut — aut' facta, quippe qua is qui quomodo (utrum tempore longo an itinere) salutem sit recepturus ambigat designetur, cum tamen certus sit in hoc carmine poeta, quidquid restet uitae, in Graecia dedere studiis. itaque qui sperauit simul utroque uulnera sua lenitum iri, scribere debuit '*et* spatia a. *et* longa i. p.'. sed cum in uu. 25—30 totiens illud 'aut' legatur, hoc librarium ad 'aut — aut' reponendum induxit. — I 9, 31 sq.:

Illis et silices et possunt cedere quercus;
Nedum tu possis, spiritus ille leuis.

'blanditiis durissima quaeque uincuntur, quanto minus tu, homo leuissime, uinceris'. hoc uno modo cum pentametrum exponere liceat ut ad 'possis' suppleamus 'cedere', peruersissima nascitur sententia; necessario 'quanto magis' desideramus. uanum enim atque cassum est artificium interpretum 'resistere' uel similia subintellegentium; quod quo iure faciant ipsi uiderint. nos nostra usi obseruatione 'possis' propter damnosam uocis 'possunt' uiciniam ex 'par sis' corruptum putamus. — II 13, 39 sq.:

Tu quoque si quando uenies ad fata, memento,
Hoc iter ad lapides cana ueni memores.

plus uno uitio uersus minor laborat. et 'ueni' quidem ut per se ineptum uidetur (nam uenit ad lapides is qui uiuus uegetusque eo derigit gressus, non qui mortuus ad illos portatur), ita inde quod ueniendi uocabulum nulla conciliante ui rhetorica repetitur suspectum fit. neque placet ullo pacto uox 'cana', licet nauiter eam defendat Lachmannus. in hac enim sententia 'tu quoque morte appropinquante (et utinam uoti mei sis memor) iube ut grandaeua facta ad hoc meum sepulcrum efferaris, quo cineres nostri misceantur' quam languidum atque superfluum sit illud 'grandaeua facta', sentiat oportet qui elegantiae sensu non caret. nam Hertzbergium neruosam breuitatem in uoce 'cana' (= et utinam diu in uiuis sis nec nisi anus ad sepulcra uenias) agnoscentem nostro iure, puto, mittimus. nil autem pulcrius ueriusque lenissima Heinsii mutatione 'cara'; sic quippe ex amore suo aeterno

poeta deriuat petitum. denique nec illud 'hoc iter' a uitio inmune esse contra Lachmannum euicit A. Kiesslingius [progr. Gryphiswald. a. 1875 p. 5 sq.] ceteroquin peruersa de hoc loco commentatus. totum igitur uersum sic refinxi: 'h*uc* *cura* ad lapides, ca*r*a, ue*h*i memores'. nam uocis 'cura' littera ultima ante 'ad' abiecta ex 'huc cur' obuia correctione fecerunt 'hoc iter'; ceterum ad constructionem quod attinet, cf. ex. gr. Iustinus II 12, 2 'symbolos proponi et saxis proscribi curat'. — sed iam mittam hoc corruptionis genus, quo saepius causas deprauationum explicare (uide modo I 8, 42 'amo' pro 'ouo' propter u. 41; I 15, 33 'Quam' pro 'Dum' ob u. 31; I 19, 15 'Quarum' pro 'Harum' ob u. 14 'Quas') saepiusque ingratas eorundem uocabulorum repetitiones (ex. gr. I 8, 25 et 26) remouere licet.

Compendia quoque non intellecta haud exiguum uitiorum numerum genuisse consentaneum est. unum adferam locum, qui largiore indigeat disputatione. II 34, 27 sqq.:

Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit aut rerum dicere posse uias?
Aut quid crethei tibi prosunt carmina lecta?
  Nil iuuat in magno uester amore senex.

'crethei' est lectio prisca, 'erecthei' uel 'erechti' debetur Italis. ad quod uitium tollendum in duas partes discedunt docti; aut enim philosophum aliquem (ut Epimenidem Cretensem, Epicurum, Lucretium) aut ex poetis Homerum Aeschylumue uaria conicientes latere statuunt. neutrum probari potest. philosophorum mentio praecessit estque uno disticho adeo absoluta ut si 'aut quid tibi prosunt' u. 29 legimus statim nouum aliquid proferri sentiamus. neque in illos quadrat uox 'lecta', diurno potius nocturnoque studio cum scripta sapientium uersata esse a poeta philosopho par sit. ei autem qui de Musarum sacerdotibus siue Homero siue Aeschylo (nam his aemulandis operam nauauit Lynceus testibus uu. 41 et 45), cogitauerunt, ut et ipsi uoculam 'lecta' huic quoque interpretationi quam maxime obstantem*), ita uersum mino-

*) quantopere opiniones praeiudicatae in errorem inducant, docet Birtius in Mus. Rhen. XXXII p. 411 illud 'lecta' coniectura attemptans.

rem plane neglexerunt. nam notum est et Homerum et Aeschylum ab amoribus canendis omnino abstinuisse. nullo igitur in amore, nedum in magno, quidquam illi profuerunt. ad uerum autem eruendum cum summo opere respiciendum est id quod priorum conamina euertit 'lecta', tum proficisci debemus a scriptura, quam u. 29 optimi codices **D** et **F** praebent (nam **V** 'uester' suum ei qui **N** exarauit persuasit). illi autem 'noster — senex' exhibent. uatem igitur lyricum, huic lectioni si nos addicimus, commemorat Propertius; uatem lyricum nunc subito perspicimus a Lynceo amante et studia seria aliquid remittente lectum esse, ut et uulnerum suorum lenimen caperet et, si posset, imitaretur. cum autem in scriptura 'crethei' littera 'h' more solito (cf. III 19, 11) perperam sit addita, ex 'cretei' elicere oportet nomen aptum. et cui non in memoriam hic recurrit Ouidianum illud 'Teia Musa senis', cui non persuadetur optime dici Anacreontem in magno quidem amore nil iuuare? unde restitui uoce 'nunc' cum ui iucunda repetita:

Aut quid *nunc* Tei tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuuat in magno noster amore senex.

nam scriptum olim erat 'n̄ctei', quod non intellegens alter scriba 'cretei' legere sibi uidebatur. sed quoniam semel in hoc loco commoramur, ostendam quam nouam lucem emendatio illa disticho affundat sequenti:

Tu satius Musis memorem imitere Philetam
Et non inflati somnia Callimachi.

hic iterum nunc discimus 'musis memorem' genuinam fuisse archetypi lectionem, mutatam illam hiatus uitandi causa ab Italis in 'memorem musis'. ad Anacreontem igitur refugerat amator noster serus, cum a philosophis suis in nouo aestu nil auxilii posset petere. ex cuius uersibus Lynceum seueris studiis adsuetum uerum commodum uoluptatemque non esse capturum intellegens Propertius eum ut poetas potius Alexandrinos sibi imitandos sumat adhortatur. notum est quod quantumque in amore describendo discrimen constet inter lyricos graecos et Philetam Callimachumque. hos si sequebatur Lynceus, campum habuit in quo etsi mutato aliquantulum tamen consueto modo elaboraret; nam limam multam multumque

studium requirebant poemata amatoria arte Alexandrina facta. quodsi Anacreonteis leuibus ludicrisque carmina laboris plena opposuit Propertius, hinc ansa data est ad expedienda uerba 'satius Musis memorem'. quae si arte uolumus tractare, omnem mutationem continebimus in uocabulis 'satius' (quod contra Schraderi offensionem artificiose defendit L. Muellerus) et 'memorem' a re metrica uitioso. et hoc quidem in interpolato quodam codice optime utque lenior medela fingi nequeat in 'meliorem' correctum est; 'satius' autem ex 'grauibus' deprauatum puto, ut sic bene currere mihi uersus uideatur: 'tu *grauibus* Musis me*li*orem imitere Philetam', i. e., aptior Anacreonte est Philetas, quem seuera tua Musa imitetur; cf. Prop. I 9, 9 'quid tibi nunc misero prodest graue dicere carmen'. talia autem argumenta, in quibus more modoque Alexandrinorum amores tractari potuerint, indicari uu. 33—38 nunc adsentior Hertzbergio, Schneidewino [Göttinger Gel. Anz. 1846 p. 975 sqq.], Birtio [mus. Rhen. l. l. p. 413].

Et haec quidem de uariis textus Propertiani uitiis adtulisse satis esto. minime enim omnia hic peragere animus erat cunctis in examen uocatis locis, immo paucis propositis exemplis potissima genera eaque fere quae minus adhuc aduerterunt doctos indicare uolui.

Est Propertius unus ex eis poetis, quorum emendatio ut inmani librariorum corruptione ita ipsorum ratione dicendi cogitandique difficilis sit atque impedita. suam haud raro semitam terit poeta Umber, dum uulgaria refugit nouaque captat, partim felici usus audacia partim obscurus; quamquam si bona fortuna nobis indulsisset eius codices aeque bonos quam habemus ex. gr. in Ouidii opusculis amatoriis, iam non quereremur puto de locis obscuris. in tali autem uate, si in quo alio, assiduum inter se gerunt bellum interpretes criticique, ut tamen illorum maior sit culpa, quippe qui omnia sibi uideantur intellegere, qui exemplis saepe nil comprobantibus aut externa similitudinis specie fallentibus inprudenter utantur, qui etiam ibi ubi minime quadrant dilectas sibi figuras poeticas formulasque grammaticas in medium proferant nesciantque suo unumquemque locum modulo

metiri*). recte autem qui et enarrationi et emendationi operam nauant (nam ita sane utrumque officium est coniunctum ut neque bonus interpres, nisi qui probabilis sit criticus, neque criticus bonus, nisi qui probabilis sit interpres, existere possit), ei Propertium saepius a dia Critica quam ab Hermeneutica opem auxiliumque flagitare sciunt, experti scilicet quam subtili trutina ponderanda sit bona pars locorum, quos alii sanissimos alii corruptos habent. falluntur in hac re etiam uiri cetera egregii: dum patroni existere uolunt uersibus misere exagitatis, saepe causas defendunt non iustas. percensebo primam elegiam. consueuit aetas nostra pro Propertiano accipere u. 12

Ibat et hirsutas ille uidere feras,

cui lectioni fautores sane non contemnendi Marklandus Hemsterhusius Lachmannus se addixerunt, comparantes illi locutiones 'uidere loca horrida et ignota' uel 'uidere pericula,

---

*) defendendi studium saepe miro modo mentes rapit in praeceps. dabo aliquot exempla, quorum memoria mihi recens est. I 15, 29 uerba tradita 'multa prius uasto labentur flumina ponto' nuper extitit qui tueretur explicando 'a ponto retro fluent', non perspiciens ille cum ipsius uocis 'retro' tum praepositionis hic quidem plane necessariae absentiam omnibus sanis criticis corrigendi causam fuisse. — alter doctus, quod II 32, 50 'altaque mortali deligere astra manu' a L. Muellero bona Burmanni emendatio 'deripere' recepta est, grauiter commotus indignatusque talis suscepti audaciam Ouidianum 'deligere ungue rosam' similiaque non neglegenda clamauit; quasi uero 'sidera de caelo deligere' eodem iure quo 'de uirectis flores deligere' diceretur neque de grandi aliquo inmanique facinore illic ageretur! — tertius quidam II 18, 29 'de me, mi certe poteris formosa uideri' egregiam emendationem 'per te' (ipsi 'lenis sed eadem leuis' audit!) procul arcendam putat quia sententia sit 'mihi certe, alios enim non moror, semper *natiuo* colore places', id ipsum uocabulum, quod quia requiritur neque adest critici restituerunt, nullo plane iure atque adeo improbe subintellegens. — quartus denique doctus III 19, 27 ineptum 'tamen' ita sustentat: 'quamquam supplicium sumpsit de Scylla, a qua beneficio affectus erat, tamen factus est iudex, neque inmerito, quia quamuis uictor tamen aequus in hoste fuit'. qua defensione planior puto fit uocis corruptio. — sed dies mihi deficiet, si uelim enumerare quae ab hac parte peccant docti indoctique. utinam tandem ab eiusmodi nugis proferendis abstineant discantque etiam aliquid dare anteriorum iudicio!

mala, mortem', unde uidendi uocabulo notionem adeundi atque experiundi uindicant; recte id quidem, cum 'uidere' in his significet 'noscere' atque etiam conciliante nexu 'primum noscere non sine discrimine'. hinc uero 'uidere feras' pro 'experiri cum uitae periculo feras' bene recteque dici posse, nec ratione conligitur nec ullo exemplo stabilitum est. sensit hoc Heinsius, sensit Burmannus; quibus accedens uocem 'uidere', licet emendatio incerta sit, deprauatam iudicare non dubito. porro u. 20:

Et labor in magicis sacra piare focis

uarie id quod est 'sacra piare' interpretantur (ueluti Hauptius, ut didicimus ex eius panegyrico Berolini a. 1879 emisso p. 91, 'piando sacra facere'); sed ex locutione mirifica qualemcumque sensum extorquentes unum neglexerunt omnes, cuiusuis esse sacerdotis deos piare (cf. et L. Muellerus ad h. l.), hic autem expectari magorum facinus magnum cuique respondeat commemorata in uersu priore 'deductae fallacia lunae'. itaque hic quoque non anxie circumeundum, sed nauiter tollendum erat uitium. — denique u. 33 sq.

In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo uacuus tempore defit amor

tradita lectio retineri nequit. uerbis 'nostra Venus' intellegi uolunt Cynthiam. solebant sane amantes puellam dilectam blandifico nomine appellare 'Venerem suam'; neque tamen hic ita uocare potuit Propertius dominam duram cuique in omne tempus iam est ualedicturus. et uerba 'noctes exercet amaras' de Cynthia nimis magnifice dicta potius ad Venerem deam nos reuocant. maxime uero hoc commendat distichon praecedens. 'remanete' inquit poeta 'uos', quibus facili deus annuit aure: ego deos habeo aduersos ideoque proficisci cogor'. sed si diam Venerem, ut par est, amplectimur, additum 'nostra' tolerari nequit. quod qui solus recte perspexit Petrus Francius, is 'dura' iusto uiolentius coniecit. reposui 'maesta', conligens I 14, 15 'nam quis diuitiis aduerso gaudet Amore? nulla mihi *tristi* praemia sint *Venere*' et quae sequuntur ad rem inlustrandam facientia. qui locus me permouit etiam, ut in uersu minore reponerem puerum alitem (omnes edi-

tiones, quas equidem hic inspexi, 'amor' praebent). nam 'uacuus amor' quis sit, ego certe qui sperno artificia ignoro*); Amorem nullo tempore uacuum agnosco Cupidinem, qui numquam otiosus auolansque miserum amatorem semper tenet urguetque. nam id quod est 'nullo tempore' usu poetarum non ita raro pariter cum 'uacuus' et 'defit' coniungendum (cf. ex. gr. I 16, 25).

Studium illud conseruandi quam maxime codicum apices, quod ut olim ita hodie apud multos plurimum ualet, uereor ne saepenumero iniuriam faciat et egregio poetae et superiorum philologorum curis; quippe quod, nisi intra fines legitimos coherceatur, potius inertiae ignauiaeque praesidium quam contra temeraria temptamina propugnaculum sit. hinc autem factum est ut iusto saepius nunc uilipendant atque adeo contemnant bona priorum criticorum inuenta, quorum multa neglecta iacent atque abdita. equidem, qui aliorum rectis commentis tam laetor quam meis ipsius, nil prius nilque antiquius habui quam ut debito redderem honori ea quae honore sunt digna. non merentur hercle nepotum fastum uiri ei, quorum opera effectum est ut hodie certiore ingressi uia a multis erroribus possimus cauere. itaque succincte nunc indicabo, quorum doctorum scripta et profuerint Propertio et mihi hanc nouam editionem comparanti adfuerint.

Igitur emaculando textui operam nauabant post correctores Italos et editores principes, inter quos Auantius et Beroaldus et Volscus eminent, maxime hi uiri: Muretus, Guil. Canterus, I. I. Scaliger, Dousae, Turnebus, Fruterius, Palmerius, Liuineius, Passeratius, Lipsius, P. Francius, Guyetus, Nicolaus Heinsius, Graeuius, Ieremias Marklandus, Broukhusius aliique, pro suo quisque ingenio symbola exhibentes uberrima utilissimaque; quorum omnium studia commode conlegit compre-

*) altero quoque loco haec uox offucias fecit interpretibus. nam 'uacui ocelli', quos habes I 9, 27 in codd., quam recte dicantur itidem nescio. neque enim, quia I 10, 30 (quo nos relegant) bene legitur 'uacuum pectus' (scil. ab amore), ideo etiam 'uacuos' appellare licet oculos, per quos concipitur quidem ignis inde in pectus manans, sed qui minime sunt sedes amoris. oculos satiemus amore,

henditque Petrus Burmannus in ea editione, quae ditissimo amplissimoque, quamquam uasto eodem atque indigesto apparatu instructa in omne tempus fundamentum est critico Propertiano. quod opus post Burmanni mortem a. 1780 emisit Laurentius Santenius.

Fouerant studia Propertiana in hac Batauia circa medium saeculum XVIII duo potissimum uiri, Tiberius Hemsterhusius et Iohannes Schraderus, qui et ipsi egregia praestiterunt (cuius rei testimonium est huius 'Emendationum liber' uere aureus Leouardiae a. 1776 emissus) et discipulis uatis Umbri amorem inspirabant. ex quorum numero ante ceteros hic nominandus est Petrus Fonteinius (1708—1788), Hemsterhusii alumnus quique inter aequales magna meritaque ingenii doctrinaeque laude floruit. is licet in longe diuersa uitae condicione positus (sacerdotis munere Amstelodami fungebatur) bonam aeui partem impendit et inlustrandis Theophrasti characteribus et castigando Propertio. et ad hunc quod attinet, in Broukhusiana editione posteriore permultas coniecturas obseruationesque suas adscripsit, quarum paruula quaedam specimina in libello bonae frugis et ipso pleno ('epistola critica in Propertium ad Laurentium van Santen', Amstelodami 1792) edidit I. G. Huschke. hoc Fonteinii exemplari nunc in bibliotheca ecclesiae Teleiobaptistarum Amstelodamensis adseruato ut per hos menses aestiuos commode domi uti possem, effectum est summa beniuolentia eorum quibus bibliothecae illius cura mandata est.

Erat omnino tum Propertius in deliciis atque amoribus philologorum, inter quos eminent Ruhnkenius et Valckenarius; quibus accedunt tamquam ignes minores Eldikius, Koppiersius (Obseruata philol., Lugd. Bat. 1771), Wakkerus (Amoenit. Litter. 1770), Wassenbergius aliique: quorum inuenta ex parte iam in Burmanni editione extant. deinde commemorandae sunt dissertationes nonnullae Actis societatis Traiectinae insertae, Ioh. Sterkii (I p. 164 sqq.), Valentini Slothouweri (III p. 136 sqq.), Herm. Bosschae (ibid. p. 211 sqq.). tum G. T. Suringar quattuor prolusiones scolasticas ad Propertium pertinentes Lingae a. 1805—8 edidit. porro nominari merentur Iac. Henr. Hoeufftii 'Pe-

ricula critica' iterum recognita Bredae 1807—8*) et Henr. Waardenburgii opuscula (Harlemi 1812). quibus hic statim adiciam S. Guil. Schippersii in Propertii librum IV obseruationes criticas (Groningae 1818).

Anno 1816 (nam Kuinoelii compilatoris opus praetereo) in lucem uenit commentarius criticus Caroli Lachmanni. qui ante omnia fidem codicum exigendam flagitans, licet erraret in constituendo fundamento critico, primus tamen uiam monstrauit, qua institui posset iusta recensio poetae. cuius praeterea emendationi eximie profuit, quamquam interdum acumine magis quam iudicio pollens et normae seueritate hic illic contra priorum dubitationes iniustior. idem a. 1829 editionem minorem breuissima lectionis uarietate instructam emisit.

In transcursu commemoratis F. Iacobi et Paldami (Lipsiae et Halis 1827) editionibus iam dicam de Guil. Hertzbergii opere (Halis 1843—45 quattuor uoluminibus). quod propter diligentiam summam, qua omnes quaestiones ad poetam nostrum pertinentes sunt tractatae, semper locum tenebit inter libros Propertii studiosis necessarios. sed idem summa cum cautione adhibendum est, ne tironibus potissimum fallacias faciant incredibilia saepe artificia. erat enim Hertzbergius homo ingenii sensusque poetici sinceri plane expers, in quem cum maxime cadant ea quae de interpretum genere exemplis alienis et figuris schematibusque male abutenti supra dixi. hinc ingeniosorum inuentorum inimicus atrocissimus et criticis primariis saepe ridicule oblocutus (cf. ex. gr. quae de Heinsio I p. 253 blaterauit) iustam hominibus prudentibus cordatisque nauseam semper mouit mouebitque.

Iam praeter recentiores editiones solum textum exhibentes (Keilii, Hauptii, L. Muelleri) dissertationes ad Pro-

---

*) Hoeufftii libellum rariorem nuper demum nanctus utar occasione ut uiro illi docto duas coniecturas Tibullianas (I 7, 61 'quam poenam' et I 8, 45 'sed frons'), quas primus proferre mihi uidebar, restituam. accidit idem mihi in Suringari emendatione ad Prop. I 2, 9, ut taceam de incognitis adhuc curis Fonteinii, qui ut aliorum ita mea nonnulla inuenta praecepit.

pertium spectantes mihi praesto fuerunt haece: I. H. Vossius, 'Anmerkungen und Randglossen zu Griechen und Römern' (Lipsiae 1838, p. 260 sq.); Henr. Keilius, 'obseruatt. crit. in Prop.' (Bonnae 1843); Maur. Hauptii disputationes uariae (opusc. I—III); Robertus Ungerus, 'Analecta Propertiana' (Halis 1850) eiusdemque 'emendationum Prop. specimen' in programmate Friedlandensi a. 1868; Guil. Fischerus, 'de locis quibusdam Propertianis' (Bonnae 1863); Christ. Heimreichius, 'quaestt. Prop.' (Bonnae 1863) et 'nouae quaestt. Prop.' (Symb. philol. Bonn. p. 669—684); Peerlkampii de elegiarum regina opusculum (Amstelodami 1865), de quo cf. L. Muellerus in Fleckeiseni ann. a. 1866 p. 413 sqq. et 777 sqq.; Bernh. Eschenburgius, 'obseruatt. crit. in Prop.' (Bonnae 1865); H. A. Kochius (Symb. philol. Bonn. p. 321—329); Christ. Luetiohannus, 'commentatt. Propertianae' (Kiliae 1869, ad librum IV pertinentes); Maduigius (Aduers. Crit. II p. 62 sqq.); Ad. Kiesslingius, 'coniectanea Propertiana' (Gryphiswaldiae 1875); Ed. Heydenreichius, 'quaestt. Prop.' (Dresdae 1875; cf. et ad II 34); Rob. Ellisius (dissertationes professorales uniuers. Londiniensis a. 1871—72 et 1872—73); H. A. I. Munro (Journal of Philology VI p. 28—69); Arth. Palmer (in Hermathenae Dublinensis uol. I—V, 1873—77, uariis disputationibus); Conr. Rossbergius, 'lucubratt. Prop.' (Stadae 1877); C. E. Sandstroemius 'emendatt. in Propertium, Lucanum, Valerium Flaccum' (Upsalae 1878). et haec quidem opuscula praeter minora quaedam in apparatu critico suis locis commemorata nostris inspeximus oculis; pauca alia aut nancisci non licuit aut utpote plane inutilia*) silentio praetermittere est uisum.

---

*) ueluti Kindscheri disputationem (Mus. Rhen. XVII) et eius, qui nuperrime (Mnemosyne, uol. VII, 1879, p. 98—108) inter alia ineptissima (nam pauca probabilia iam anteriores protulerant) hunc Propertio uersum

Si tu, hospes, patiare, fĭam regina sub aula

obtrusit et I 10, 23 'petiit ingrata' scilicet metri corrigendi causa mutat (quippe talibus homunculis Ritschelii et Lachmanni non scripserunt). quamquam hoc non mirum in eo qui Statium mensura 'iuxtā' usum fecit et cultissimum Priapeum Tibullo adscriptum conspurcauit illo 'canisquē scabra'.. dedecori haec ueteri Batauorum gloriae!

ita autem illis sum usus ut neglectis atque abiectis falsis prauisque commentis adponerem in notis criticis quaecumque bene excogitata aut certe mentione digna essent.

Iam ut de meis studiis pauca adiciam, duodecim fere anni sunt, ex quo cum hoc poeta firmam contraxi familiaritatem. cuius fructus nonnulli cum iam a. 1870 in Muelleri editione prodierint, longe plures uberioresque maxime intra a. 1873—76 collectos (paucis quae meliorum librorum notitia postea suppeditauit adiectis) ipse edidi Miscellaneorum Criticorum (Groningae 1878) pp. 73—106. nouam denique segetem opera his ultimis annis in Propertio posita protulit, cum praesertim feliciter mihi cederet ea res, in quam ubi omnium maxime necessariam esse intellexi summo opere incubui, scilicet inuestigatio codicum bonorum. quibus studiis si arbitris intellegentibus aequisque id effecisse uidebor ut solidus apparatus criticus nunc tandem adsit, ut adhibitis prudenter priorum copiis meaque ipsius opera textum Propertii si non genuinum ubique (hoc enim ab uno homine flagitare iniustum est uereorque ut ulla umquam aetas sit uisura) at non indignum poeta restituerim restituendumue in notis proposuerim, praemium laborum sat amplum rettulero.

Mirabuntur multi, in hac editione Propertii carmina non eo librorum numero discripta exhiberi, qui inde a Lachmanno optinuit. et debere me sentio nomini Lachmanniano, ut quibus causis ab eius placitis recesserim explicem uberius.

Cum in libri II elegia 13 haec uu. 25 et 26 legantur:

Sat mea sic magnast, si tres sint, pompa, libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram,

spretis uanis interpretum in uoce 'libelli' commentis ille rectissimae Scaligeri obseruationi ('nescio quomodo iubet tres libellos sibi πομπεύειν, quos nondum scripserat, ut qui ne secundum quidem dimidium scripserit') insistens librum secundum in duos diuisit, ut iam pro quattuor quae codices tradunt uoluminibus haberentur quinque. librum autem ter-

tium a II 10 initium sumere uoluit, cum contra priores (ut Broukhusius et Burmannus) elegiam II 13 ex tertio uolumine casu quodam in secundum delatam esse opinarentur*).

Lachmanni rationi licet per se ex truncato elegiarum II 6—13 statu non ita difficile explicandae duae tamen res grauissimae obstant. ac primum quidem optime adnotante Heimreichio [quaestt. Prop. p. 32] Nonius p. 169 s. u. *secundare* uersum Propertianum, qui secundum Lachmanni computationem in libro extat quarto, tertio potius uindicat confirmatque codicum nostrorum ordinem. nam hic errorem in Nonii codicibus commissum (scilicet III pro IIII solito in numeris uitio scriptum esse) uelle statuere, mihi quidem omni inludere arti uidetur. itaque ne coniecturam fulciamus coniectura, sed Nonii testimonio (et sequi grammaticum illum ueteres eosque egregios fontes constat) simpliciter agnoscendum est refelli Lachmanni diuisionem. deinde uero, quod multo maioris est momenti, ista ratione probata minime remouentur difficultates summae in carminibus id quod est II 13 praecedentibus obuiae. nimirum Lachmannus et anteriores uni illi nodo sane ob oculos posito (II 13) soluendo studuere, cetera aenigmata aut non perspecta habentes aut non curantes.

Nostra ut fert sententia, non una elegia II 13 sede sua genuina depulsa est, sed tota aliqua foliorum compage in antiquissimo codice supra adumbrato laxata falseque inserta omnia illa, quae nunc fere a II 7 usque ad II 13 leguntur, olim extabant in tertio uolumine. quod explicatius iam exponemus.

Si a II 13 pedem remouemus, adest unde huic quaestioni lucem affundere liceat carmen II 10. in quo Propertius abiecta humili poesi amatoria sese canturum esse profitetur Augusti facta, non perfecto id quidem carmine epico, sed ut

*) nam si carmen II 13 antiquitus tertio uolumini erat insertum, sponte sua apparet bene recteque Propertium de tribus libellis tamquam ad inferos comitibus loqui, ut qui tertii libri editionem iam praepararet.

elegis tamen exiguis debitum offerat principi honorem. animum attende ad ea quae inde a u. 7 extant:

Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus:
    Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc uolo subducto grauiter procedere uultu,
    Iamque aliam citharam me mea Musa docet.

ita qui loquitur, iam certa cepit consilia: nouae poesi totum se dedere uolt neque amplius scribere amatoria, aetate prima superata alteram se ingredi sentit, puella sua abdicata ad maiora se accingit. fac hoc subitum fuisse poetae consilium posteaque inmutatum: nonne absonum fuisset subiti quo ad epica ferebatur impetus testimonium hoc inserere ei libro, in quo praeterea res Augusti ne unico quidem carmine proprio celebrantur quique finem facit in poemate poesin amatoriam unice commendanti (II 34)? absone, inquies, inseruisset poeta, si ipse librum edidisset; sed enim amici eo mortuo cartas repertas in uolumina quae nunc II—IV sunt redigentes talia nauci habuere. quae si recte mihi obicerentur, sane omnis haec disputatio superflua esset quam maxime.

Itaque hic paulisper gressum sistam, indicaturus quam futtili argumentatione Hertzbergius [quaestt. Prop. 213—223] nil praeter primum uolumen a Propertio emissum esse contenderit. tota enim de chronologia carminum Propertianorum quaestio ex parte non parua nititur eis de quibus agimus elegiis II 7 — II 13. omnia igitur quae ex his concluduntur corruant necesse est, ubi has sede non sua positas esse demonstratum est. quod si rationibus longe diuersis effecerimus, tum disquisitiones chronologicas eaque quae cum his cohaerent retractandi erit locus. quin si hac a parte liberi nullaque opinione praeiudicata impediti oculis perlustramus libros I—III, id non potest non mirantes nos habere, quod libri tertii elegia ultima, qua in omne tempus poeta Cynthiae ualedicit, respondeat fere libri primi carmini principi, ut ipsius Propertii cum certo consilio uoluminis tertii opuscula disponentis manum in hac re agnoscere uelle pronum sit. quid quod eum hoc tertium uolumen etiam edidisse admodum probabile est? nam quemadmodum elegiae III 1 et 2 totae ita sunt comparatae ut contra obtrectatores inuidos

carminum suorum laudem honoremque sempiternum auguratus uates data opera eas praemisisse uideatur, sic uerba III 1, 39 sq.:

> Carminis interea nostri redeamus in orbem:
>   Gaudeat in solito tacta puella sono

eius, nisi egregie fallor, sunt qui nouum librum foras dat. quae cum ita se habeant, a uiuo uegetoque Propertio libros secundum tertiumque emissos esse idque separatim, nostro nos iure sumere elucet.

Ad propositum ut redeamus, addo etiam Luetiohannum [commentt. Prop. p. 77—79 not.] ceteroquin Lachmanni diuisionem secutum poema illud II 10 non conuenire ei quo codices ponunt loco sua ductum ratiocinatione perspexisse relegasseque in librum tertium (IV Lachm.).

Acriora tela ad oppugnandum traditum ordinem subministrat carmen II 9, ut in quo commemorentur res nonnullae tempori longe posteriori adtribuendae. non urguebo uu. 25 et 26:

> Haec mihi uota tuam propter suscepta salutem,
>   Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae?

morbum illum Cynthiae designari, de quo elegia demum II 28 nos certiores facit (quamquam nec hoc neglegendum est et Propertium et ceteros poetas in carminibus suis uno uolumine comprehendendis, etsi interdum uariandi gratia discindant cohaerentia interpositis alienis, tamen in uniuersum sequi temporis ordinem, quo facilius lectores seriem narrationis persequi potuerint); sed hoc monebo, carmen II 9 diu post superatum illum morbum esse scriptum testibus uu. 23 sq.:

> Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit:
>   Di faciant, isto capta fruare uiro!

desertam esse Cynthiam a Pantho (hic enim intellegendus est aperte) ex II 21 discimus, sed infidum amatorem iterum ab illa appetitum non liber secundus, sed tertius ostendit. nam III 20, 1 sq. legimus:

> Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
>   Vidisti a lecto quem dare uela tuo?

porro in conuiuio quodam hilari puellae unice amatae se absentem iocum fuisse risumque narrat poeta II 9, 21 sq.:

Quin etiam multo duxisti pocula risu,
    Forsitan et de me uerba fuere mala.

hanc autem eandem rem, quae omnium maxime poetae mouerat indignationem, praeterea commemoratam inuenimus III 24, 21 sq.:

Risus eram positis inter conuiuia mensis,
    Et de me poterat quilibet esse loquax.

uidemus igitur in elegia II 9 attingi ea quae non in libri secundi initium, sed in tertii finem quadrant.

His adiciam quae non tam certa demonstratione quam sensu nitantur. produnt enim uersus qui extant II 9, 37—40, 49—52 et II 8, 13—28 ultimam poetae desperationem: omnibus frustra temptatis non amplius sperat fore ut puella sua pudica fidaque esse uelit. et cum hac desperatione coniunctus est summus Cynthiae contemptus, facile ut persentiscamus eum, qui uerba tam acerba de illa loquatur qualia leguntur in fragmento II 11, abhinc iam non tam dulces uersus esse compositurum quales et liber II posterior et iniens III exhibent haut paucos*).

Ei igitur tempori quo Propertius Cynthiae ualedixit (quod tempus liber III extremus nobis depingit) carmen II 9 adscribendum est; eidemque unice conueniunt uerba quae leguntur II 8, 13 sq.:

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
    Improba, qui tulerim teque tuamque domum.

si II 8 uere ad initium secundi uoluminis pertineret, poetae, qui tum duos per annos, cum plurimum, Cynthiam amabat, nullo pacto 'tam multos annos' iactare licuisset. at licuit eo tempore quo dixit III 24, 23 'quinque tibi potui seruire fideliter annos', hoc est, quo abdicauit Cynthiam.

---

*) mirabar simul atque gaudebam, cum Fonteinium, cui de ceteris carminum II 7—13 turbis nil subolebat, tamen pannum illum II 11 ad III 24 pertinere conicientem uiderem. optime igitur ille sensit, quemnam animi affectum uersus illi spirent.

Neque, qui unum librum primum paruo tempore ante emiserat, iure de se praedicauit II 7, 17:

Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.

quantumuis enim poetis superbiam meritis quaesitam concedamus, tamen ex mera uaniloquentia profecta uidentur uerba illa, si ab eo proferuntur qui uixdum monobiblo suo edito fauorem hominum primo expertus est.

His igitur rationibus adducti totam libri secundi particulam, quae a carmine fere septimo incipit (nam certum illius initium propter laceram elegiae sextae condicionem statuere non licet) et usque ad decimi tertii finem pertinet, hinc remouendam et uolumini tertio reddendam censemus. quam sedi genuinae uelle restituere propterea difficillimum est quod et in fronte mutilata extat et in exitu manca, cum is qui folia errantia refixit pauca nouae elegiae disticha post II 13 addita, utpote consilio suo repugnantia, omisisse putandus sit. quam ob causam ad nihilum recidunt conamina omnia de uetustissimi codicis turbis certi aliquid eruendi. sed circumspicienti mihi, ubinam particula illa non inepte posset inseri, prae ceteris placuit hiatus ille, qui est inter III 19 et 20. nam et illud carmen in fine truncatum est et huius uersus 1—10 uix aliud sunt quam longioris poematis exitus. elegiae igitur III 20, 1—10 exordium post II 13 periisse putauerim.

Nec obstant huic nostrae sententiae rationes chronologicae. ad quas quae spectant nunc breuissime disceptabo. Propertius iam inde ab initio amoris sui (quod anno 28 incipienti attribuo) duritiem Cynthiae expertus unum prae ceteris aemulum habuit, praetorem illum Illyricum. qui uere anni illius in prouinciam abiturus illam secum studuit abducere. quam ut Romae maneret precibus suis adduxit poeta (I 8). nec tamen ipse abhinc puellae amore nisi breuissime fruebatur. nam rixae exortae effecerunt ut amantium existeret discidium. totum per annum se exclusum esse ipse testatur I 1, 7 (neque enim dubitamus quin 'toto — anno' recte ibi legatur). causa autem discidii leuis poetae culpa uidetur fuisse. ipse dicit III 16, 9:

Peccaram semel et totum sum pulsus in annum.

ex quo carmine non inepte concludes, eandem ob causam quam tum anxie uitabat olim eum feminae iracundae bilem mouisse: scilicet uocatum a Cynthia sero demum uenisse ad amicam frustra expectantem. quae res narratur in carmine I 3; eandemque paulo aliter descriptam (nimirum eius memoria non ita certa erat, debuitque illa tum aliquantulum exornari) postea amator reconciliatus tractat in elegia II 29 sese quodammodo excusaturus. neque tamen haec unica discidii causa; immo alia nobis incomperta (cf. I 15, 25 sqq.) uidentur accessisse. reliquit autem amatorem Cynthia Baias proficiscens. cuius animum abalienatum initio Sextum credere noluisse ideo probabile est quod elegia I 11 puellam ut quam primum Baias desereret rogauit. mox tamen de uera illius in se uoluntate certior factus se derelictum queritur (cf. I 12, cuius carminis maxime u. 11 'mutat uia longa puellas' est respiciendus, et I 13, 2) porroque, ubi nec reuersae Romam Cynthiae duritiem frangere potuit, urbem et ipse tempore ut coniectare licet autumnali reliquit nescio quo terrarum peregrinaturus. iniqua autem procella in medio itinere deprensus inque regionem nobis ignotam delatus (ubi ut certe carmen I 17, ita fortasse I 18 et 19, cuius cf. u. 20, sunt scripta), ut primum licuit, patriam repetit. quo infortunio commotum iri Cynthiae animum frustra sperauit: lenta illa inmotaque manet; cf. elegia I 15, cuius finis quo spectet quidque sibi uelit diiudicare nunc non possumus, nisi quod molliendi amicam consilium sane apparet. qua spe omni deiectus Propertius tandem se tradidit desperationi illi, quae depingitur elegia I 1. — ita autem ut de amoris Propertiani initio iudicem, prae ceteris hac adducor causa. nam si iam nonnullis ante discidium illud annis poetam Cynthiam amasse sumimus Lachmannum aliosque secuti, id caret explicatione quod fere nullum libri primi carmen purum illud amatoris felicis gaudium prae se fert. nec dubitari potest quin multo maiorem poematum copiam longioris temporis cum Cynthia contubernium Sexto suppeditaturum fuerit. nunc opuscula non ita crebra ad eam pertinentia produnt hominem in amore non potentem maloque fato usum. — uere anni 27

cum Tullus amicissimus patruum in Asiam esset sectaturus [Hertzbergius I p. 23 sqq.], Propertius ei carminum uolumen primum *μονοβίβλου* titulo instructum tamquam sodalis amoris miseriis oppressi mnemosynum donauit*).

Quo edito ubi poeta adhuc ignotus in hominum notitiam uenit celebrarique Romae coepit, Cynthia quem antea fastidiose tractarat cum eo iam in gratiam rediit (cf. II 2, 1 sq.). quam uno mense post editionem illam Propertio se restituisse nouimus ex elegiae II 3 uu. 1—4:

Qui nullam tibi dicebas iam posse nocere,
  Haesisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
  Et turpis de te iam liber alter erit.

quibus uerbis fictus quidam aduersarius reprehendit poetam quod reconciliatione facta denuo seruiat Cynthiae; cuius perfidia rursum cognita mox iterum eum uersus esse canturum, qui alteri libro post aliquod tempus forte edendo (neque enim haec ita accipienda, quasi iam de secundo uolumine euulgando ipse cogitauerit poeta) dedecori sint futuri**). apparet autem respicere aduersarium illis 'qui nullam — ille tuus' ad librum primum. sed ubinam loci Propertius in eo iactauerat, nullam iam feminam sibi posse nocere? legitur quidem I 1, 29 sq. 'ferte per extremas gentes et ferte per undas, qua non ulla meum femina norit iter', sed his uerbis minime id quode agitur inest. unde confirmatur suspitio, ea quae extant I 1, 5 sq.:

Donec me docuit castas odisse puellas
  Improbus et nullo uiuere consilio

non intacta esse. nam mire ibi se habent castae puellae. quippe uulgares meretrices qui sectabatur, is sine iusta causa

*) si in eleg. I 6 inter causas, cur Tullum comitari non liceat, recenset poeta uu. 5 sqq. puellae suae preces, caue hoc ad amussim exigas. id quod uerum est ostendunt uu. 25—36.

**) quo saepius hunc locum mecum perpensito, eo magis suspectum fit illud 'turpis'. quid enim ignominiae, quaeso, sibi contrahit is qui amoris miserias doloresque suos argutis profert querellis? aptius certe foret 'et *tristis* de te iam liber alter erit', h. e., easdem quas in monobiblo tuo acres querimonias in secundo quoque libro edes.

querebatur de tristi Venere noctes in se exercente amaras (u. 33). immo omnes omnino feminas propter unius duritiem Propertium tum odisse innuere uidetur u. 30. itaque conieci 'docuit *cunctas* odisse puellas', id quod Fonteinius quoque exemplari suo adscripsit, sed ut mutationis causam non significaret.

Restituit igitur sese uere a. 27 Propertio Cynthia (cf. elegiae II 2 et 3 et 14 et 15, ex quibus II 14, 19 ad I 1 respicere uidetur), sed ut mox alios amatores reciperet (II 4—6 et 17—19) omninoque dimitteret Sextum, ubi aestate siue potius autumno eiusdem anni praetor ille Illyricus opibus affluens Romam rediit (II 16). et poeta, postquam frustra in rectam uiam illam reducere conatus est (II 24, 16 sqq., qui uersus proprium formant carmen), iam plane amens consiliique impos et ipse alias sectari induxit animum (II 22—24); cuius tamen propositi poenitentiam agens carminis uicesimi secundi quasi quandam palinodiam cecinit in elegia uicesima quinta. sic septem per menses exclusus (II 20, 21—24, qui uu. non suo loco extantes initio carminis 21 uidentur reddendi), postquam Panthus praetor deseruit Cynthiam (II 21, cuius u. 3 fortasse spectat ad II 24, 32), iterum a femina iam desolata reuocatur. tantaque amoris insania tenebatur ut a muliere infida desistere nollet, immo perpetuum in eam amorem prae se ferret (II 20 et 21) gauderetque sibi redditam (II 26). cumque aestate anni 26 graui Cynthia afficeretur morbo, de eius uita anxius sollicitusque agebat (II 27 et 28). et uidetur cum puella sanata per aliquod tempus concorditer uixisse (nam ex fragmento II 30, 19—22 nil concludas certi). autumno autem anni illius carmen II 31 *) eiusdemque fini II 34 tribuendum puto statimque euulgatum librum secundum praemisso ad Maecenatem prooemio, in quo non minus atque in ultima elegia 34 unice

*) dedicata est aedes Apollinis Palatini VIII. Kal. Nou. a. 28 a. Chr. n., sed apertam eandem publicoque usui porticum patefactam esse anno demum 26 manifestum fit nostro carmine. obscurissimum quippe est, cur Propertius, si iam a. 28 hanc elegiam composuit, inserere noluerit libro primo, sed secundo, cum tamen exeunte a. 26 descriptio illa nouitatis gratia plane careret.

amores se canere profitetur. et reiecto panno illo alieno II 7—13 quam uere hoc de se profiteatur, iam totum uolumen secundum aperit.

Ad tertium uolumen peruenimus. quod cum ederet exeunte fere a. 23, cum consilio diuersis locis inseruit carmina quibus significaret aliud poeseos genus se posthac sectaturum. licet enim elegiis 1—3 se heroico carmini parum aptum identidem declaret, mox tamen ut aliis opusculis [eleg. 4 et 5] magis tecte indicat ita et elegiae nonae fine et eo quod in hunc librum reuocauimus fragmento II 10 aperte eloquitur certum suum ad epica tractanda transeundi consilium, assiduis Maecenatis maxime precibus cedens. cuius rei haec praeterea causa fuit quod eam quae in poematis amatoriis tam diu regnauerat dimittere cogebatur. sed intentius amoris illius finem persequamur. et primo quidem tempore quietum nec nisi leuiter turbatum cum Cynthia contubernium produnt haud pauca carmina (cf. III 6; 8; 10; 16); inter quae id quod est numero decimum quintum principem optinet locum, ad tempus quod attinet, utpote statim post editum librum II conscriptum. nam Cynthiae, quae eum cum Lycinna famula rem adhuc habere suspicabatur, respondens poeta haec dicit:

Tertius haud multo minus est cum ducitur annus:
  Vix memini nobis uerba coisse decem.
Cuncta tuus sepeliuit amor; nec femina post te
  Ulla dedit collo dulcia uincla meo.

hoc est missa Lachmanni [praef. p. XXVI] ratione peruersa*): ex quo te amare coepi, et Lycinnam et alias omnes neglexi. itaque si tres fere per annos Propertius se iam puellae amore teneri dicit, quandoquidem initio a. 28 eam diligere coepit,

*) ut hic non intellego cur Lachmannus Propertium haec post illum annum quo pulsus fuit scribere non ausurum fuisse dicat, ita mente non perspicio quo iure idem in computando totius amoris spatio discidii annum extra calculum poni debere contendat. quasi uero hunc anxie excepisset is qui totum tempus respiciens exclamauit 'quinque tibi potui seruire fideliter annos'! nam ipse certe etiam per annum illum amore puellae tenebatur omnique modo ut rediret in gratiam cum ea temptabat.

haec a. aut exeunte 26 aut ineunte 25 scripsit. ceterum quod eiusdem carminis uu. 3—6 uixdum toga uirili sumpta, hoc est, sedecim septemdecimue annorum adulescentulum [cf. Marquardtius, enchir. antiq. Rom. V 1, 135] a Lycinna amoris sacris imbutum se affirmat quodque ab ancillula illa non nimis diu captum se esse toto hoc loco uidetur innuere, propterea eum duodeuiginti fere annos natum Cynthiam deperiisse non iusto audacius colligemus. unde, cum monobiblon suum ille uno anno post ediderit, recte uidemus Martialem [XIV 189] iuuenile Propertii carmen laudasse. nec non poetae annum natalem 46 siue 45 a. Chr. n. fuisse hinc certo licet concludere.

Denuo autem pax inter amantes constituta rumpebatur, postquam Panthus, qui a. 26 deseruerat Cynthiam, a. fortasse 24 Romam reuertit. quem puella nouo amore instigata cum appeteret (III 20, 1 sqq., II 9, 23) misso Propertio, hic operam omnem in ea retinenda frustra consumi uidens seque in conuiuio quodam feminae potae risum fuisse indignatus tandem in omne tempus ab amica infida discessit siue sub exitu a. 24 siue incipiente a. 23 (cf. III 24, 23 'quinque tibi potui seruire fideliter annos'). cuius ultimi in amore illo temporis uicissitudines uarias (ueluti breuissimum per spatium nouam reconciliationem fuisse factam nonnulla indicant: cf. III 20, 11 sqq., II 12 et 13) melius dispicere nobis liceret, nisi in hanc potissimum librorum Propertianorum partem ita saeuiisset iniqua fortuna ut una cum foliis transpositis intercciderent haud pauca. nos his relictis nunc ad alia transimus. nam cum cetera carmina particulae illius II 7—13 in tertium uolumen unice conuenire attenti lectores, ut puto, iam intellexerint, restat ut de duobus nonnulla addam.

Elegiae II 10 uu. 13—18 respiciunt res Augusti intra a. 23—20 gestas [cf. Mommsenus in monum. Ancyr. enarrat. p. 73 sqq., Luetiohannus, comment. Prop. p. 79], sed ita respiciunt ut spei laetae, qua expeditionem contra orientis gentes suscipiendam prosequebantur Romani, interpretem agens uates Augusto adhuc Romae uersanti fausta omnia ominetur praeconemque uictoriarum futurarum sese promittat (cf. u. 19 sq.). nulla igitur causa impedimur quominus

hoc carmen ad a. 23 referamus tertiique libri nouissimum aiamus.

De elegia autem II 7, quam ante alterum Panthi Romam reditum scriptam censeo, ita iudico. priorem Augusti rogationem exeunte a. 27 locum habuisse contra Lipsium, quem plerique sequuntur, recte demonstrasse mihi uidetur Hertzbergius [I p. 225], sed eam antiquatam esse anno subsequenti non bene contendit idem. hoc scilicet refutant Propertii uerba 'qua quondam edicta flemus uterque diu'. unde duo saltim annos intercessisse quia statuendum est, detrudimur ad a. 25 uel 24. gaudebant autem amantes legem sublatam ideo quod ea perlata poeta amasiam meretriculam (et meretriculam fuisse Cynthiam tot loci clare aperteque indicant ut obscurissimum sit quomodo post Hertzbergii hac de re disputationem [I p. 35 sqq.] nuperrime existere potuerit qui illam pro muliere nobili nuptaque uellet uendere) relinquere iustisque se iungere nuptiis debebat. ceterum mirum foret, nisi diuturnae illius tristitiae aliquod superesset uestigium. et reperisse mihi uideor tale uestigium. nam in elegia II 30 ex uariis fragmentis conflata leguntur uu. 23 sqq.:

Una contentum pudeat me uiuere amica?
  Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit:
Mi nemo obiciat.

praue in his se habet uox 'una'. certa et constans est locutio 'esse una contentum (uno contentam)', cuius exempla olim dabimus in commentario ad Catulli LXVIII[b] 95; designatur enim is qui aliis feminis spretis in una domina, ut ait ille, facit delicias libidinesque. quodsi in una solaque Cynthia amorem cohibuit Propertius, tantum afuit ut hoc ab aliquo pro crimine ei posset obici, ut summa esset dignum laude. neque, ut docent sequentes uersus, hoc ei obiectum erat, sed illud potius, quod omnino haberet amicam: innuptas nuptias ei opprobrio uerterant senes duri (uides cur u. 13 restituendum proposuerim 'conubia'). quod opprobrium postquam aptis reiecit exemplis, ita concludit u. 31 sq.:

Quodsi nemo extat, qui uicerit alitis arma,
  Communis culpae cur reus unus agor?

unde patet u. 23 reuocandum esse 'un*um* contentum pudeat me uiuere amica?' nimirum aut ego fallor aut Augusti consilia legis perlatae seueritate nondum fulta adiuturi amici quidam suggesserant Propertio, quam parum eum decerent conubia ista utque legitimam duceret uxorem, cum praesertim iam solus ex Maecenatis familiaribus tali uiueret condicione quaeque sunt huiusmodi similia. quae utcumque se habent, id quidem iam extra dubitationem est positum carmen II 7 temporis quoque ratione habita libro tertio uindicandum esse.

Et haec quidem hactenus. quamuis enim quae restat grauium quaestionum ad Propertium pertinentium multitudo quasi inuitet ad cursum institutum persequendum, nos tamen nunc uela contrahimus litoreque optato potiti ancoram iacimus.

Dabam Groningae mensibus aestiuis a. 1879.

SEX. PROPERTII

ELEGIARUM LIBRI IV.

O = archetypus saeculo XIV repertus ex consensu siue omnium codicum siue bonorum **A D F** *m. 1* **V** *m. 1* (oppositis **N F** *m. 2* **V** *m. 2*) restitutus.

A = codex Vossianus saec. XIV.

D = codex Dauentriensis saec. XV.

F = codex Florentinus saec. XV.

V = codex Ottoboniano-Vaticanus saec. XIV.

N = codex Neapolitanus.

ς = coniecturae Italorum in codicibus interpolatis obuiae.

ubicumque in apparatu critico unius tantummodo manus (siue primae siue alterius) scriptura indicata, alterutram id quod textus habet (uel id quod de **O** relatum est) praebere consentaneum est. — ≡ rasuram unius litterae designat.

SEX. PROPERTII ELEGIARUM

LIB. I.

I.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
  Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
  Et caput inpositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas
  Improbus et nullo uiuere consilio.
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
  Cum tamen aduersos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
  Saeuitiam durae contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,

VARIETAS LECTIONIS. Incipit monobiblos propertii aurelii naute ad tullum **A F** *litt. rubr.* Propertii aurelii nautae umbri monobiblos incipit ad tullum *litt. maiusc. diuersorum colorum* **V** *ita ut nonnullae litterae rubricatori addendae sint relictae*; Incipit propertius **N** *m. 2*; *de* Aurelii *nomine, postquam iam Perizonius in Burmanni syll. epist.* IV 774 *dubitauit, disseruit M. Hauptius opusc.* I 280 *sqq.* ‖ I. heroys prima **F** *litt. rubr.*, **A** *m. 2 mg.* ‖ 1 cepit] fecit **A F** (*in hoc corr. mg. m. 2*) ‖ 3 Tunc **A F** | me c. d. culmine fastus *Fonteinius* ‖ 4 capud **A** | impos. **A D V** ‖ 5 castas docuit **V** (*corr. m. 2*); *de uoce* castas *fortasse in* cunctas *cum Fonteinio mutanda cf. Prolegg.* ‖ 7 toto — anno **F N** (**V** *m. 2*): totis — annis **V** toto — annis **A** ‖ 9 Minalion **O** (Mimalion **F** *m. 2 corr.*), *em. Volscus* | nullo **A**, **F** *m. 1* ‖ 10 Seuiciam **A N** Sȩuiciam **V** | ṭyasidos **A** yasidos *in* iasidos *corr.* **N** hyasidos **V** ysiados **F**

Ibat et hirsutas ille uidere feras;
Ille etiam Hylaei percussus uulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo uelocem potuit domuisse puellam:
Tantum in amore preces et benefacta ualent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes,
Nec meminit notas, ut prius, ire uias.
At uos, deductae quibus est fallacia lunae
Et labor in magicis fata piare focis,
En agedum dominae mentem conuertite nostrae,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim uobis et sidera et amnes
Posse Cytaines ducere carminibus.
Aut uos, qui sero lapsum reuocatis, amici,
Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saeuos patiemur et ignes,
Sit modo libertas quae uelit ira loqui.
Ferte per extremas gentes et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili deus annuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares:
In me maesta Venus noctes exercet amaras,
Et nullo uacuus tempore defit Amor.

VAR. LECT. 12 hirsutas **V** *m. 2*, **N** *corr.*: irsutas **F V** hyrsutas **A**, **N** *m. 1* | uidere] ferire *Heinsius* agitare *Burmannus* sollicitare *Paldamus* ciere *uel* mouere *ego* ‖ 13 Hylaei *Volscus*: psilli **O** (psylli *corr.* **V** *m. 2*) Phyllei *Hertzbergius* | uulnere **V N**: arbore **A F** (*huius m. 2* ab arbore); *an* uerbere ? ‖ 14 archadiis **A N** ‖ 16 preces] fides *Fonteinius, quod placet* | bona fata *idem* ‖ 17 non ullas ς: non nullas **O** non illas *Dousa pat.* | concitat *Burmannus senior* ‖ 18 memini **A** ‖ 19 subductę **V** *m. 2* | fallatia **N V**; pellacia *Palmerius et L. Fruterius*, fiducia *L. Muellerus* ‖ 20 fata *Fonteinius*: sacra **O** astra *Rob. Ungerus* ‖ 22 mea **N** *m. 1* | placeat **A F** | 24 Cytaines *Hertzbergius*: citalinis **F** *m. 1*, cithalinis **A F** *m. 2*, cytalinis **V** (*mg. m. 2* citheinis), cythalinis **N** (*m. 2* cythainis *corr.*) Cytaeaeis *Guyetus* Cytaiacis *Schneidewinus* ‖ 25 Aut *Hemsterhusius*: Et **O** (At **F** *m. 2*) ‖ 27 paciemur **A V** ‖ 29 Forte — ferre **A** ‖ 30 semina **A** | nouit (r *supra* o) **V** ‖ 31 remanere **A** | facilis **F** | adnuit **V** | ore *Heinsius* ‖ 33 maesta *scripsi*: nostra **O** dura *Francius* ‖ 34 desit **A**, **N** *m. 1* | Amor *ego*: amor *uulgo*.

Hoc, moneo, uitate malum: sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quod si quis monitis tardas aduerterit aures,
Heu referet quanto uerba dolore mea!

II.

Quid iuuat ornato procedere, uita, capillo
Et tenues Coa ueste mouere sinus,
Aut quid Orontea crines perfundere murra,
Teque peregrinis uendere muneribus,
Naturaeque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae:
Nudus Amor formae non amat artificem.
Aspice, quos summittat humus dumosa colores,
Ut ueniant hederae sponte sua melius,
Surgat et in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha uias.
Litora natiuis praefulgent picta lapillis,
Et uolucres nulla dulcius arte canunt.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaira soror,

Var. lect. 35 uitare F ‖ 36 nec F | locum] nouum *Marklandus*
II. *Noua elegia in* 0; ad cinthiam F, ad cynthiam A, ad cynthiam amicam V *inscribunt* ‖ 1 ui≡ta V uita N: uitta A uĩcta F ‖ 2 choa 0, *corr.* V *m. 2* (*etiam in* N h *expuncta m. 1*) ‖ 3 quid] q; F *m. 1* quod N *m. 1* | oronthea A F N | murra N (h *m. 2 suprascr.*): myrra V mirra A F ‖ 7 tua est A F N; *ex* tuaest *?* ‖ 8 Nudus *ex* Nullus *corr.* F | formam *coni. Heinsius* ‖ 9 quos 0: quot ς | summittat 0 (*nisi quod* sũmitat F): summittit ς | dumosa *G. T. Suringar et ego* (*Misc. Crit. p.* 71): formosa 0 nemorosa *Heinsius* muscosa *Keilius* non iussa *Sandstroemius* ‖ 10 Ut *Itali*: Et 0 ‖ 11 frondosior *coni. Bentleius*, felicius *Lachmannus* ‖ 12 in dociles V | limpha A F N ‖ 13 praefulgent *scripsi:* persuadent 0 (al. persudant V *mg. m. 2*), collucent ς per se dant *Scaliger* perrident *Heinsius* praelucent *Hertzbergius* ‖ 14 *hic incipit* D | canant V *m. 2* ‖ 15 leucupis A | phebe A F, *et* V *m. 1*, phaebae N ‖ 16 ilaira N *m. 2*: tela ira A F (telaira F *m. 2*) telaria N *m. 1* thelaira D V (*in hoc* i *in* y *corr.*)

Non Idae et cupido quondam discordia Phoebo
  Eueni patriis filia litoribus,
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
  Auecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
  Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium uulgo conquirere amantes:
  Illis ampla satis fama pudicitia.
Non ego nunc uereor ne sim tibi uilior istis:
  Uni si qua placet, culta puella sat est;
Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet
  Aoniamque libens Calliopea lyram,
Unica nec desit iocundis gratia dictis,
  Omnia quaeque Venus quaeque Minerua probat.
His tu semper eris nostrae gratissima uitae,
  Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

III.

Qualis Thesea iacuit cedente carina
  Languida desertis Gnosia litoribus,
Qualis et accubuit primo Cepheia somno
  Libera iam duris cotibus Andromede,

Var. lect. 17 idae **V** *m. 2*, **N** *corr.*: ida **D N V** yda **A F**; Idan, cupido *coni. Burmannus* ‖ 18 Eueni **N** *ex corr.*, **F** *mg. m. 2*, **V** *mg. m. 2*: Euenit **O** (Et uenit **N**) ‖ 19 Nec **A F N**: Non **D V** | phrig. **F** frig. **A** ‖ 20 Aduecta **D** | yppod. **A** ypod. **F** ippod. **N** *m. 1* ‖ 21 faties **N** 22 appellaeis **N** ‖ 23 uulgo] fuco *Eldikius* uultu *Hoeufftius* | aquirere **A F** (*huius m. 2* acq.) | amittes **A** amictes **F** (*hic mg. m. 2* conquirere amantes) ‖ 24 I. forma satis ampla p. **A F** | fama *scripsi Misc. Crit. p. 71*: forma **O** ‖ 25 nunc *ex* non *m. 1 corr.* **N** | sis mihi ς ‖ 26 culta] una **A F** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*), *corr.* **F** *mg. m. 2* ‖ 28 caliopea **D V** (*in hoc. m. 1 alt.* l *add.*) | liram **A F D N** ‖ 29 ne **A F** | facundis *Marklandus* | dictis **D V**: uerbis **A F N** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*, **V** *mg. m. 2*)

III. *Noua elegia in* **O** *cum titulo* ad cynthiam ‖ 2 gnosia **O**: gnossia **V** *m. 2* ‖ 3 cephia **N** *m. 1* | sompno **A** ‖ 4 andromade **A D F** (*et fortasse* **V** *m. 1*)

Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano,
Talis uisa mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus,
Ebria cum multo traherem uestigia Baccho
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
Molliter inpresso conor adire toro.
Et quamuis duplici correptum ardore iuberent
Hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
Subiecto leuiter positam temptare lacerto
Osculaque admota sumere auara manu,
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
Expertae metuens iurgia saeuitiae,
Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modo soluebam nostra de fronte corollas
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus,
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiua cauis poma dabam manibus,
Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono saepe uoluta sinu.
Et quotiens raro duxti suspiria motu,
Obstupui uano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent uisa timores,

VAR. LECT. 5 Maenas et ass. *Heinsius* | aedonis **D N**, **V** *m. 1* ‖ 6 erboso **F** | concidit **V** (c *ex corr.*), **N**: conscidit **A F** considit **D** | appidano **O**; *licet hoc defendat M. Hauptius opusc.* II 263, *malim tamen* herbosa — Ismaria ‖ 7 spirare **F** *m. 2*, **V** *m. 2*, **N** *mg. m. 2*: sperare **O** ‖ 8 capud **A** | manibus] ĩcubus **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 9 bacho **A N** bacco **F** ‖ 11 nundum **N** ‖ 12 impr. **A D V** | cogor **V**, *corr. mg. m. 2* | thoro **A F N** | 15 Cubiecto **A** | tentare **D V** ‖ 16 sumere et arma manu **O** (sūmere *et* manū **F**); rapta *uel* carpta *Heinsius* ad ora *Gronouius* cara *F. A. Kochius et ego olim* grata *Conr. Rossbergius*; *nunc* auara (= cupida) *restitui* ‖ 20 ignotae *coni. Francius* | innachidos **A** umachidos **F** (*in hoc corr. mg.*) | 22 temporibus **A F** *ita ut miro modo in utroque supra* e *m. 2* i *scripserit* ‖ 25 Omnia quae *Dousa* | sōpno **A N** ‖ 27 quociens **A N** quotie[illegible]s **V** | duxti ς: duxit **O** ‖ 28 auspitio **F** ‖ 29 sibi **D V** (*in hoc corr. m. 2*); illi *Fonteinius* duxit *retinens*

Neue quis inuitam cogeret esse suam.
Donec diuersas praecurrens luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos leuibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait, in molli fixa toro cubitum:
'Tandem te nostro referens iniuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus?
Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis,
Languidus exactis (ei mihi) sideribus?
O utinam tales producas, inprobe, noctes,
Me miseram quales semper habere iubes!
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine, fessa, lyrae,
Interdum leuiter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras,
Dum me iocundis lapsam sopor inpulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima cura meis.'

IV.

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris uitae quodcumque sequetur
Hoc magis assueto ducere seruitio?
Tu licet Antiopae formam Nycteidos et tu
Spartanae referas laudibus Hermionae,

Var. lect. 30 cogeret **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: cogerit **O** ‖ 31 praecurrens **A F N**: percurrens **D V** ‖ 32 moraturi≡s **V** ‖ 33 Compositis — ocellis **A F** (*in hoc corr. m. 2*) Compositis — ocellos **D**, **V** *m. 1* (Compositis *in* -tos *corr. m. 2*) ‖ 34 nixa *Heinsius* | thoro **A N** ‖ 38 ei **A N**: hei *ceteri* ‖ 39 perducas **O**, *corr. Gryphiana a.* 1551 | impr. **A D V** ‖ 40 qualis **F** ‖ 41 sompnum **A F** ‖ 42 lyre **A** lire **F** ‖ 43 leuiter **A F N** (**V** *m. 2 mg.*): grauiter **D V** | loquebar **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 45 lapsam *in* lassam *corr.* **V** | sapor **N** *m. 1* | inp. **N V**: imp. *ceteri*, induit *Burmannus* ‖ 46 cura] creta *Scaliger* meta *Heinsius*

IV. *Noua elegia cum titulo* ad bassum *in* **O** ‖ 4 ducere **O**: uiuere ς ‖ 5 antiope **O** (anth. **F**): antiopes ς | nicteidos **O** ‖ 6 hermione **A F N**

Et quascumque tulit formosi temporis aetas:
  Cynthia non illas nomen habere sinat;
Nedum, si leuibus fuerit collata figuris,
  Inferior duro iudice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris:
  Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuuat,
Ingenuus color et multis decus artibus et quae
  Gaudia sic tacita ducere mente libet.
Quo magis et nostros contendis soluere amores,
  Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non inpune feres. sciet haec insana puella
  Et tibi non tacitis uocibus hostis erit,
Nec tibi me post haec committet Cynthia nec te
  Quaeret: erit tanti criminis illa memor,
Et te circum omnis alias irata puellas
  Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
  Et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis.
Non ullo grauius temptatur Cynthia damno
  Quam sibi cum rapto cessat amore deus,
Praecipue nostro. maneat sic semper, adoro,
  Nec quicquam ex illa quod querar inueniam.

Var. lect. 7 *malim* famosi (*bona nimirum significatione*) ‖ 8 sinat **O**: sinet **V** *m. 2* ‖ 9 fuerat **A F** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 10 erat **F** e≡at **A** ‖ 13 color **O**: calor *Jacobus*, *postquam* pudor *et* lepor *alii praecierunt*; *sed* ingenuus color *extat apud Petronium epigr.* 47, 7 *Buech.* | et *om.* **F** *m. 1*, *unde haec* q; *post* ingenuus *supra lin. addidit* | decor *Bentleius* multus decor artubus *Sterkius* | q̄ *ex* q; *corr.* **N** ‖ 14 sic *scripsi*: sub **O** | ducere *Itali*: dicere **O** | mente *Marklandus*, *ego coll. Verg. Aen.* I 502: ueste **O**; *sed gaudia uenerea hic*, *ubi post u.* 11 *de solis animi dotibus agitur*, *commemorare prorsus absonum* | licet *Liuineius* ‖ 16 accepta] asserta *Heinsius* adducta *Marklandus* | fallis utrumque (-unque) **D V** (*huius m. 2 corr.*) ‖ 17 imp. **A D V** | insane *Gryphiana* ‖ 19 comittet **A** comictet **F** | nec te] posthec **N**, *sed corr. m. 1* ‖ 21 omnis **D V**: omnes **A N** om̃s **F** ‖ 22 Differet **F** *m. 2*, **N**: Differt **A F** Deferet **D V** (Diferet *huius m. 2*) | lumine **A F** ‖ 23 Nullos **A F** | contempnet **A F N**; non tinget *coni. Heinsius* ‖ 24 Et] Nec *Hoeufftius* Ut *Fonteinius* Est *Conr. Rossbergius*; *fortasse* Sit ‖ 25 tentatur **D V** | dampno **N** ‖ 27 nostro ς, *Heinsius*: nostri **O** ‖ 28 quiquam **A**

V.

Inuide, tu tandem uoces compesce molestas
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi uis, insane? meae sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos uestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa uagis similis, conlata, puellis:
Molliter irasci non solet illa sibi.
Quod si fortunis non est contraria uestris,
At tibi curarum milia quanta dabit!
Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:
Illa feros animis alligat una uiros.
A! mea contemptus quotiens ad limina curres,
Cum tibi singultu fortia uerba cadent,
Et tremulus maestis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecumque uoles fugient tibi uerba querenti,
Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser.
Tum graue seruitium nostrae cogere puellae
Discere, et exclusum quid sit abire domum;

Var. lect. V. *Noua elegia cum titulo* ad gallum *in* **O** ‖ 2 quaesumus *coni. Hoeufftius* ‖ 4 meae *Hemsterhusius*: meos **O**, *nisi quod* **F** *in lac. 3 litt. omittit* (feros *et* meos *m. 2 mg.*) | 4 nosce **D V** ‖ 6 *ante* Et bibere **A** Ebibere, **F** Elibere *repetunt, in hoc suppunctum* | e *ex corr.* **N** *m. 2* | tessalica **A** texalica (c *m. 2 del.*) **F** ‖ 7 magis **A** ș magis **F** (*in hoc corr. mg. m. 2*) | conlata **N**: collata **O**, *quod est suspectum*; *conieci* conparque ‖ 8 non solet illa tibi **O**; sciet *Itali coniecere*, solet illa: time *Lachmannus*, sibi *ego reposui Misc. Crit. p. 73* ‖ 9 Quid **D** | fortunis — uestris *scripsi l. l.*: forte ruis — nostris **O** forte tuis — uotis **N** *m. 2 corr.* (tuis *etiam* **V** *m. 2*; *quae et* ausis), forte animis — nostris ς forte ausis — uestris *Heinsius*; *an* forte suis — lucris ? ‖ 11 sōpnos **A N** | Non tibi tunc somnos, non illa r. ocellis *Fonteinius*, irata rel. ocellis *Burmannus*, *equidem pro* ocellos *aliquando conieci* opellas (*coll. Hor. epist.* I 7, 8), *ut nocte dieque sine quiete fore Gallum dicatur* ‖ 12 animis] *conieci* omnis *l. l.* ‖ 13 Ha **A F** Ah **D N V** | quociens **A** ‖ 15 tremulis moestus **V** *m. 2*; tremulus mixtis *Burmannus* ‖ 16 docet **A F** ‖ 17 uolet *Santenius* ‖ 18 nosce **D V** (*in hoc corr. m. 2*) | 20 adire **F** *m. 1* | domo *Lachmannus*

Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
  Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
  Nescit Amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parua tuae dederis uestigia culpae,
  Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
  Cum mihi nulla mei sit medicina mali,
Sed pariter miseri socio cogemur amore
  Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
  Quaerere: non inpune illa rogata uenit.

VI.

Non ego nunc Hadriae uereor mare noscere tecum,
  Tulle, neque Aegaeo ducere uela salo,
Cum quo Rhipaeos possim conscendere montes
  Ulteriusque domo uadere Memnonia:
Sed me complexae remorantur uerba puellae,
  Mutatoque graues saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes
  Et queritur nullos esse relicta deos;
Illa meam mihi iam se denegat, illa minatur,
  Quae solet ingrato tristis amica uiro.

Var. lect. 21 nostram **N** *m. 1* ‖ 23 poterrit **N** | succurres **N** *m. 1* 24 Ne sit (c *m. 1 suprascr.*) **N** | ymag. **A** ‖ 25 Quid si **D V** ‖ 27 cum p. solacia **A** ‖ 29 sotio **D F V** ‖ 31 quid **D V** (**N** *corr.*): quod **A F**, **N** *m. 1* | ṣcynthia **A** ‖ 32 imp. **D**

VI. *Noua elegia cum titulo* ad tullum *in* **O** ‖ 1 nunc **F** *m. 2*, **N V**: tunc **A D F** | adrie **A F** adrię **V** *m. 2* hadrie **D V** ‖ 2 egeo **A D F** aegeo **V** aeg̃o **N** ‖ 3 quo rhipeos **N** *corr.*: corripeos **O** coripeos **N** *m. 1* corcyraeos **V** *mg. m. 2* (*quae et* corriphẹos *corr.*) | coscend. **F** ‖ 4 domo — Memnonia *Lachmannus*: domos **O**, *tum* memonias **A F** (memnonias *huius m. 2 et* **N**), in emonias **D V** (hẹm. *huius m. 2*, *quae et* memnonias *in marg.*) ‖ 5 memorantur **A**, **F** *m. 1* 6 colore **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: dolore **O** ‖ 9 meam] etiam *Fonteinius* ‖ 10 ingrato *Itali*: irato **O**

His ego non horam possum durare querellis:
A pereat, si quis lentus amare potest!
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas
Atque Asiae ueteres cernere diuitias,
Ut mihi deducta faciat conuicia puppi
Cynthia et insanis ora notet manibus,
Osculaque a posito dicat sibi debita uento
Et nihil infido durius esse uiro?
Tu patrui meritas conare anteire secures
Et uetera oblitis iura refer sociis:
Nam tua non aetas umquam cessauit amori,
Semper at armatae cura fuit patriae;
Et tibi non umquam nostros puer iste labores
Adferat et lacrimis omnia nota meis.
Me sine, quem uoluit semper Fortuna iacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire uolunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia seu qua
Lydia Pactoli tingit arata liquor,
Seu pedibus terras seu pontum carpere remis

Var. lect. 11 querelis **O** ‖ 12 ha **A F**, ah *ceteri* | amore **A F N** (*in his duobus corr. m. 2*) ‖ 14 cernere] **V** *m. 2 mg.* noscere | diuicias **A N** ‖ 15 *deest sine interuallo in* **A F** (*in illo m. rec. mg. addidit*, *in hoc mg.*: def.) | fatiat cū uitia pupi **N** conuitia **D** ‖ 17 a posito *scripsi*: opposito **O** ut posito *Lachmannus*; opposito — ponto *Fonteinius* | debita **A F N** (**V** *mg. m. 2*): dedita **D V** (contraria *hic mg. m. 2*) ‖ 19 securas **A F** ‖ 20 sotiis **D F V** ‖ 21 numquam **A F** (**V** *m. 2*) ‖ 22 at **O**: et ς | armato *Hemsterhusius* ‖ 23 unquam *in* nunquam *corr.* **F** *et* **V** *m. 2* ‖ 24 Adferat **A N**: Afferat *ceteri* | omnia **O**: ultima ς somnia *Passeratius* a! mala *Jacobus* | uota **F** (*corr. m. 2*) *et* **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 25 quem] iam **A F** (*in hoc. corr. m. 2*) | uol. semper **D V**: semper uol. *ceteri* (**V** *m. 2*) ‖ 26 nequicie **A**; extrema — nequitia *Fonteinius* ‖ 27 Mult (*ita*) **A** Multi *ex* Multū *corr.* **F** | longaeuo *Fonteinius* ‖ 28 me mea terra *Burmannus* ‖ 29 ydoneus **A** ‖ 30 miliciam **A** ‖ 31 tudit **F**, *corr. m. 2* ‖ 32 Lidia **A F N** | tinguit **A F** cingit **D V** | aratra **V** *m. 2*

Ibis et accepti pars eris imperii,
35 Tum tibi si qua mei ueniet non inmemor hora,
Viuere me duro sidere certus eris.

VII.

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
Armaque fraternae tristia militiae,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero
(Sint modo fata tuis mollia carminibus):
5 Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores
Atque aliquid duram quaerimus in dominam;
Nec tantum ingenio, quantum seruire dolori
Cogor et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur uitae modus, haec mea fama est,
10 Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae solum placuisse puellae,
Pontice, et iniustas saepe tulisse minas:
Me legat assidue post haec neglectus amator,
14 Et prosint illi cognita nostra mala.
23 Nec poterunt iuuenes nostro reticere sepulcro
'Ardoris nostri magne poeta iaces.'
25 Tu caue nostra tuo contemnas carmina fastu:
26 Saepe uenit magno fenore tardus Amor.
15 Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,

VAR. LECT. 34 acepti **F** | etis (r *supra* t *m. 1 scr.*) **N** | *locus obscurus*, *in quo coniecere* acceptis par eris imperiis *Passeratius* (accepto par eris imperio *Fonteinius*, acceptis par eris imperii *Munro*), asserti *Heinsius*, sors erit *Lachmannus* (*quo probato* ut *pro* et *L. Muellerus*) || 35 imm. **D**

VII. *Noua elegia cum titulo* ad ponticum *in* **O** || 1 Cum **D**. Vm (d *m. 2 add.*) **V** || 2 milici(a)e **A N** || 3 prisco **V** *m. 2* || 6 aliquid *ex* ad *corr.* **F**; aditum *Burmannus* || 7 Nec tamen **A F** || 9 Conterritur **F** | haec] et **F** || 11 laudant **A F** (*in hoc corr. m. 2*) | placuisse] docuisse **N**, *corr. m. 1* || 13 assiduae **N** | neglectus, g *ex corr.* **F** || *uu., qui sunt in* **O** 23—26, *post* 14 *posui* (*uu.* 25, 26 *huc iam Guil. Fischerus traiecit*) || 23 sepulchro **A N** || 25 contempnas **A F N** || 26 foenore **D V**

Quod nolim nostros euiolasse deos,
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in aeterno surda iacere situ;
Et frustra cupies mollem componere uersum,
Nec tibi subiciet carmina serus Amor.
Tum me non humilem mirabere saepe poetam:
Tunc ego Romanis praeferar ingeniis.

VIII.

Tune igitur demens, nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida uilior Illyria,
Et tibi iam tanti, quicumque est, iste uidetur,
Ut sine me uento quolibet ire uelis?
Tune audire potes uesani murmura ponti
Fortis, et in dura naue iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues?
O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis nauita Vergiliis,
Nec tibi Tyrrhena soluatur funis harena,
Neue inimica meas eleuet aura preces;

Var. lect. 16 *sic* **O** *corrupte* (nollim **N**): euoluisse *uel* te uiolasse *Itali*, Quam nolis n. heu uiolasse *Heinsius* Quod nolis n. euoluisse *Lachmannus* Quod noli n. heu uiol. *Keilius* Quo nolim n. te uiol. *Muellerus*; Conatum n. en uiolasse *ego conieci* ‖ 17 sibi **A F** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 18 Flebilis **F** *m. 1* | ecterno **F** ‖ 19 molem **F** *m. 1* ‖ 20 serus **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: uerus **O** ‖ 21 Tu **A** Tunc ς | *conieci* Tum me nunc humilem ‖ 22 conferar *Francius* Romanus p. Inachiis *Eldikius*

VIII. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam (cinth.) *in* **O** ‖ 1 Tu ne **A F N** (*ut saepe*) | culpa **A F** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 2 sim **A** ‖ 4 me *om.* **A**, **F** *m. 1* ‖ 6 naue] mane **A**, **F** *m. 1* ‖ 7 positas *bis* **A** | fulcire **O**: sulcare *Itali* calcare *Marollius* super ire *uel* superare *Burmannus* | pruinas **D V**: ruinas **A F N** ‖ 9 hybern(a)e **A D V** ‖ 10 uirgiliis **F** *m. 1* (*sic*), **V** *m. 2* ‖ 11 tyrrhena **V** *m. 2*: tyrrena **O** (tirr. **F**) | arena **D V**; ab ora *coni. Burmannus senior non sine ratione*; *cf. ad u.* 15

Aut ego iam uideam tales subsidere uentos,
Cum tibi prouectas auferet unda rates
Et me defixum uacua patietur in ora
Crudelem infesta saepe uocare manu!
Sed quocumque modo de me, periura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae:
Utere felici praeuecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere, de te
Quin arguta tuo limine uerba querar;
Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
'Dicite, quo portu clausa puella mea est?'
Et dicam 'licet Autaricis considat in oris
Et licet Hylleis: illa futura mea est.'

Var. lect. 13 Aut ς, *Huschkius*: Atque O | iam (*uel* tum) *scripsi*: non O; *at* tales uenti *sunt illa* inimica aura | subdire F, *in cuius marg. m. 2* sub sidere (*etiam* V *mg. m. 2* sub sydere *habet*); tali sub sidere *coni. Graeuius* ‖ 15 patietur *Itali*: patiatur O patiaris *Beroaldus* patienter *Lachmannus*; *alia alii in toto hoc loco moliebantur*, *ut Scaliger transponendis uu.* 15, 16 *post* 12 | in hora A F in aura (o *suprascr.*) N (in≡ora V *mg. m. 2*): arena D V, *fortasse recte* (*cf. u.* 11) ‖ 17 quodcumque A N moreris N *m. 1* ‖ 18 galathea O (h *in* V *m. 2 del.*) ‖ 19 Utere D *et sine dubio* V *primitus* (*nunc* Ut≡te *apparet ita ut altera* t *in ras. sit scripta*): Ut te A F N (*qua lectione innisi* Ut te praeuectam felice *uel* felici per saeua *Itali* Ut te felici post uicta *Heinsius* [post lecta *L. Muellerus*] Vites felici praeuecta *Lachmannus*) | prouecta D V ‖ 20 placidos A F (*in hoc corr. m. 2*) | orycos D V: oriquos A F oryquos N ‖ 21 de te O: taedae ς *uulgo* ‖ 22 Quin arguta *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 74): Quin ego tuta A F D Quin ego uita F *m. 2* N V (*hic mg. m. 2* uicta) Q. ego fida *Lachmannus* Q. ego multa *Keilius*; *in* uerba *uitium odorabantur Scaliger* acerba, *Passeratius* uera *proponentes* | limine ς: lumine O | loquar D V (*in hoc corr. mg. m. 2*) ‖ 23 deficiat A F (*in hoc corr. m. 2*) | nauitas A ‖ 25 dicam *e u. priore repetitum uidetur* | licet Autaricis (*uel* Autariis) *Volscus*: licet a traciis A licet atraciis N licet atratiis F a thraciis licet haec D athraciis (h *exp. m. 2*) licet haec V; *fortasse* Autaricis licet et | horis A F ‖ 26 Hylleis *ed. Rouilliana*: hyleis A F hileis N ellaeis D V (*hic mg. m. 2* hyleis) Eleis ς Issaeis *alii*

VIII^{b}.

Hic erit, hic iurata manet. rumpantur iniqui!
Vicimus: assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia liuor:
Destitit ire nouas Cynthia nostra uias.
Illi carus ego et per me carissima Roma
Dicitur, et sine me dulcia regna negat.
Illa uel angusto mecum requiescere lecto
Et quocumque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum uetus Hippodamiae
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamuis magna daret, quamuis maiora daturus,
Non tamen illa meos fugit auara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo,
Quis ego fretus ouo: Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Siue dies seu nox uenerit, illa mea est,
Nec mihi riualis certos subducit amores:
Ista meam norit gloria canitiem.

Var. lect. VIII^{b}. *Cohaeret superiori elegiae in* **O**; *diuisit Lipsius* ‖ 27 erit **D V**: erat **A F N** ‖ 29 cupidus *om.* **F** *m. 1* ‖ 31 caripsima **F** *m. 1* ‖ 33 quiescere **F** *m. 1* ‖ 35 hyppodiame **A** ippodame (i *supra* me *m. 2*) **F** ‖ 36 elis **N**: helis **O** (aelis, a *ex corr.*, **V**, *cuius m. 2 mg.* eleis) | equis a. p. opes **F** ‖ 37 *alterum* quamuis *bis* **A** ‖ 38 amara **A F** (**V** *m. 2*) ‖ 39 yndis **A F** | concis **D** ‖ 40 *malim* carminis adloquio ‖ 42 ouo *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 74): amo **O** ‖ mera **F** *m. 1*, cara **V** *m. 2* ‖ 43 sydera **A V** ‖ 44 seu **D V**: siue **A F N** ‖ 45 certos **F** *mg. m. 2*, **N V**: summos **A F** somnus **D**; *latet hic aliud* (*num* sanctos *?*) | subducet **F** *m. 2* ‖ 46 caniciem **D** ‖ *uu.* 45 *et* 46 *post* 36 *transponi uult Guil. Fischerus, quod blanditur.*

IX.

Dicebam tibi uenturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuo libera uerba fore:
Ecce iaces supplexque uenis ad iura puellae,
Et tibi nunc quaeuis imperat empta modo.
Non me Chaoniae uincant in amore columbae
Dicere, quos iuuenes quamque puella domet.
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum:
Atque utinam posito ducar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest graue dicere carmen
Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore ualet Mimnermi uersus Homero:
Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I quaeso et tristis istos compesce libellos,
Et cane quod quaeuis nosse puella uelit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam.
Necdum etiam palles, uero nec tangeris igni:
Haec est uenturi prima fauilla mali.
Tum magis Armenias cupies accedere tigres
Et magis infernae uincula nosse rotae,
Quam pueri totiens arcum sentire medullis
Et nihil iratae posse negare tuae.

Var. lect. IX. *Noua elegia cum titulo* ad (a)emulum irrisorem *in* **O** ‖ 3 suplexq; **A** supplesq; **F** *m. 1* ‖ 4 qu(a)euis **O**: quouis **V** *m. 2*; *conieci l. l. p.* 75: quaeuis it dea, tempta modo; *pro* empta *Fonteinius et Heimreichius* illa *coniecere* ‖ 5 cahonie **F** | columbae] puelle **F** *m. 1* | 6 quamque *scripsi* (*l. l. p.* 76): quaeque (queque) **O** ‖ 8 apposito **A** | ducar *scripsi*: dicar **O** ‖ 10 amphione **F** | lire **A F** ‖ 11 minnermi **N** munermi **A**, *om.* **F** *in lacuna 8 litt., in qua m. 2* minerin' *add.*; numerini **D V** | homeri **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 12 lenia ϛ: leuia **O** ‖ 13 compesce (*uel* iam pone) *scripsi l. l.*: compone **O** depone *edd. priscae* sepone *Heinsius* ‖ 15 Quid **A F N**: Quod **D V** (**F** *m. 2*) | *malim* Quid? sic non extet | copia *om.* **F** *m. 1* ‖ 16 Insanus *ex* Insanis *m. 1 corr.* **N** ‖ 19 Tunc *et* tigies (*hoc corr. m. 2 mg.*) **F** | cuperes **V** *m. 2* ‖ 20 noscere uincla **D V**, *nescio an melius* ‖ 21 tociens **A D N V**; totis *coni. Dousa fil.* | medulis **D** ‖ 22 ingratae *coni. Lachmannus*

Nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata:
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;
Quippe ubi non liceat uacuo subducere ocellos,
Nec uigilare alio nomine cedat Amor,
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas o fuge blanditias.
Illis et silices et possunt cedere quercus;
Nedum tu par sis, spiritus iste leuis.
Quare, ni pudor est, quam primum errata fatere:
Dicere, quo pereas, saepe in amore leuat.

X.

O iocunda quies, primo cum testis amori
Adfueram uestris conscius in lacrimis!
O noctem meminisse mihi iocunda uoluptas,
O quotiens uotis illa uocanda meis,
Cum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus et longa ducere uerba mora!
Quamuis labentis premeret mihi somnus ocellos
Et mediis caelo Lunaruberet equis,

VAR. LECT. 23 cuiquam] cui *ex corr.*, *ut uid.*, *in* **A** | faciles, *ita* **O** | praebet habenas *Jacobsius* ‖ 24 inde *Broukhusius* ‖ 27 uacuo *Fonteinius*, *ego*: uacuos **O** | subducere **D V**: seducere **A F N** ‖ 28 cedit **A F** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 29 manus] malus *Modius* (*quo accepto* atterit *Burmannus*) ‖ 30 o fuge *Passeratius*: aufuge **O** ah fuge *Boltius silu. crit. p.* 73 ‖ 31 silices **V** *m. 2*, **N**: salices **O** | et possunt **D V**: et possint **A F N** possunt et ς ‖ 32 Nedum **F** *m. 2*, **N** Ne dum **V**: Necdum **A F** Nec dum **D** | par sis *scripsi*: possis **O** | spc̄ **N** ‖ 33 ni *Heinsius*: si **O** etsi *Lachmannus* | fateri **V** *m. 1* | qua ς, *Dousa filius*: *at cf. ad* I 13, 36.

X. *Noua elegia cum titulo* ad gallum *in* **O** ‖ 2 Aff. **D F V** | conctius **F**, *corr. m. 2 mg.* | inlecebris *coni. Scaliger et Heinsius*; thalamis *Huschkius*, *quod nollem ipse auctor postea spreuisset* ‖ 6 in longam — moram ς ‖ 7 labentis **D V**: labentes **A F N** | mihi *om.* **F** (tunc *suprascr. m. 2*) ‖ 8 mediis *ex* meis *corr. m. 2* **F**

Non tamen a uestro potui secedere lusu:
  Tantus in alternis uocibus ardor erat.
Sed quoniam non es ueritus concredere nobis,
  Accipe commissae munera laetitiae.
Non solum uestros didici reticere dolores:
  Est quiddam in nobis maius, amice, fide.
Possum ego diuersos iterum coniungere amantes,
  Et dominae tardas possum aperire fores,
Et possum alterius curas sanare recentis,
  Nec leuis in uerbis est medicina meis.
Cynthia me docuit, semper quae cuique petenda
  Quaeque cauenda forent: non nihil egit Amor.
Tu caue ne tristi cupias pugnare puellae,
  Neue superba loqui neue tacere diu,
Neu, si quid petiit, irata fronte negaris,
  Neu tibi pro uano uerba benigna cadant.
Irritata uenit, quando contemnitur illa,
  Nec meminit iustas ponere laesa minas:
At quo sis humilis magis et subiectus amori,
  Hoc magis effecto saepe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
  Qui numquam uacuo pectore liber erit.

Var. lect. 10 alterius **A**, **F** *m. 1* | motibus *coni. Fonteinius* ‖ 11 concredere **V** *m. 2*: concedere **O**; te credere ς, *recte?* ‖ 12 comisse — leticie **A** | mutua *Heinsius*, *quod placet* ‖ 13 reticere calores *Guyetus et Heinsius* ‖ 14 quidam (*ead. m. corr.*) **V**, **N** *m. 1* ‖ 15 diuisos ς ‖ 16 tartas **N** (*m. 1 corr.*) ‖ 19 quae cuique *L. Muellerus*: quaecunque **D V**, **F** *m. 2* **N**, quacumque **A F** ‖ 20 eget **F** *m. 1* ‖ 23 irata *Burmannus*: ingrata **O** rugata *Hauptius* (*opusc.* III *p.* 389); *ipse* mirata *conieci* ‖ 25 Irritata **N**: Iritata **D V** Irritatura **A F** ‖ 26 iustas] *malim* maestas; *Fonteinius coniecit* Sed (Et) renuit tristes ‖ 28 affecto **F** *m. 2* ‖ 29 His **A F** (*in hoc* H *m. 2 expunxit*)

XI.

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bais,
Qua iacet Herculeis semita litoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Et modo Misenis aequora nobilibus,
Nostri cura subit memores a! ducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
Paruula Lucrina cymba moretur aqua,
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternae facilis cedere lympha manu,
Quam uacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam,
Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos;
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,

Var. lect. XI. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam *in* **O** ‖ 1 Ecquid **F** *m. 2* e C quid (C *ex corr. m. 2*) **V**: Et quid **O** | bais **O**: baiis ς ‖ 3 thesproti **A F N**: tespronti **D V** (*in hoc* n *m. 2 del.*) te Prochytae *Sannazarius* te Protei *Parrhasius*; *at cf. Hygin. fab. 88*: ad regem Thesprotum, ubi lacus Auernus dicitur esse, *quae uerba, etsi sunt emblema docti lectoris, tamen ueteris alicuius fabulae uestigium indicant* ‖ 4 Et modo ς, *Scaliger*: Proxima **O** *e glossa*; *cf. Prolegg.* | misenis **V N**: miscenis **A** (**F** *m. 2 mg.*) misteriis **F** mysteriis **D** ‖ 5 ah ducere *Scaliger*: adducere **O** ‖ 6 Et quis **O**, *corr. in* **V** *et* **F** *m. 2* | externo *coni. Passeratius* | mõstrat **F**, *corr. m. 2* | in extremo pectore restat amor *coni. Heimreichius, uere ni fallor* ‖ 7 hospes *coni. Fonteinius* ‖ 8 Substulit **F**; Abstulit *coni. Fonteinius* | cynthya **A** | luminibus *Marklandus et Fonteinius* ‖ 9 te temis **F** *m. 1* ‖ 10 moretur] **V** *mg. m. 2* moueret ‖ 11 terreat **F** (*corr. mg. m. 2*) | Teuthrantis *Scaliger* (teutrantis **V** *m. 2*): teutantis **D V**, **F** *m. 2 et* **N**, tuetantis **A F** (metantis **V** *mg. m. 2*); *uulgatam quamquam exhibui, minime tamen sanatum locum puto, quem sic potius (cf. Prolegg.) restituerim* clausam te uix flutantis Auerni ‖ 12 facili **A F** | limpha **A D F** ‖ 13 alternis **V** *m. 2* ‖ 15 amoto **D V**: amota **A F N** ‖ 17 perfecta **V** *mg. m. 2*; perspectae — famae *coni. Marklandus* | est **D V** (*in hoc corr. m. 2*)

Sed quod in hac omnis parte ueretur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri: culpa timoris erit.
Nam mihi non maior carae custodia matris
Aut sine te uitae cura sit ulla meae:
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omni tu nostrae tempore laetitiae.
Seu tristis ueniam seu contra elatus amicis,
Quidquid ero, dicam 'Cynthia causa fuit.'
Tu modo quam primum corruptas desere Baias.
Multis ista dabant litora discidium,
Litora, quae fuerant castis inimica puellis.
A, pereant Baiae crimen amoris aquae!

XII.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis Cynthia amore moram?
Tam multa illa meo diuisa est milia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano,
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam

Var. lect. 18 ueretur *Lachmannus*: timetur **O** ‖ 20 Attulerint. nostri **F N**, Attulerint: nostri **D** *interpungunt, non ceteri* ‖ 21 Nam *Keilius*: An **O** At *Burmannus* Ah *Lachmannus* ‖ 22 Aut] An **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 24 Omni — tempore *Fonteinius, ego*: Omnia — tempora **O**, *quod posuit librarius pluralem* nostrae laetitiae *non agnoscens* | leticie **A**; deliciae *Fonteinius* ‖ 25 seu] se **D** | elatus *scripsi*: laetus **O** *e uersu priore* ‖ 26 Quidquid **D V**: Qquid **A** Quicquid **F N** | ero] ego aut **V** *m. 2* ‖ 28 dabant ς: dabunt **O** | dissidium **D V** ‖ 29 fuerunt *Scaliger* ‖ 30 Ha **A F** Ah *ceteri* | crimen *ex* crimina *corr.* **F**

XII. *Continuatur praecedenti elegiae in* **O** ‖ 2 Quid **D V** (*in hoc corr. m. 2*) | nobis conscia Roma moram **O**, *corr. Muretus et Fruterius*; Cynthia nostra *Graeuius* ‖ 3 deisa **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 4 Quanta *Heinsius* | ypanis **F** | uento **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 6 sonus *Lachmannus*

Contigit ut simili posset amare fide.
Inuidiae fuimus: num me deus obruit? an quae
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?
Non sum ego quod fueram: mutat uia longa puellas:
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor et ipse meis auribus esse grauis.
Felix, qui potuit praesenti flere puellae:
Non nihil, a, sparsis gaudet Amor lacrimis.
Aut si despectus potuit mutare calores,
Sunt quoque translato gaudia seruitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac desistere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

XIII.

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore uacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, uoces:
Fallere te numquam, Galle, puella uelit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus et in nullo quaeris amore moram,
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis et primo lapsus abire gradu.

Var. lect. 8 Contingit, n *altera suppuncta*, **F** | possit **D V** | amore **A** ‖ 9 sumus **A** | num **D V** (**F** *m. 2*): non **A F N** | an quae **F** *mg. m. 2*, **V** *m. 2 corr.*, **N**: an quem **O** ‖ 10 prometheus (-eis **F** *m. 2*) diuitis (h)erba **A F** ‖ 11 quod *Burmannus*: qui **O** ‖ 12 exhiguo **A** ‖ 16 a sparsis *Heinsius*: aspersis **O** ‖ 17 Aut qui *coni. Heinsius* | c^{a}lores **N** colores **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 18 seruicio **A D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 19 Minimeq; **F**, *corr. mg. m. 2* | desistere **F**: dissistere **A N** discedere **D V**

XIII. *Noua elegia cum titulo* ad gallum *in* **O** | 3 immitabor **N** ‖ 5 fama **D V N**: forma **A F** ‖ 6 moram] uiam **D V** (*in hoc mg. m. 2 corr.*, *in illo* moram *pro uaria lect. in mg. adscr.*) ‖ 7 Perditus] Queritis **A F** (*in hoc corr. mg. m. 2*) ‖ 8 lapsis **A**, **F** *m. 1* | abire **V** *mg. m. 2*: adire **O**

Haec erit illarum contempti poena doloris,
Multarum miseras exiget una uices.
Haec tibi uulgares istos compescet amores,
Nec noua quaerendo semper Adonis eris.
Haec cano non rumore malo, non augure doctus:
Vidi ego: me quaeso teste negare potes?
Vidi ego te toto uinctum languescere collo
Et flere iniectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere labris,
Et quae deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui dimittere uestros:
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore deus,
Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in aethereis gaudia prima iugis.
Una dies omnis potuit praecurrere amores:
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces,

VAR. LECT. 9 Nec **D V** (*in hoc corr. m. 2*) | illaris **F** *m. 1* | contenti **A**, **F** *m. 1* (**V** *m. 2*) ‖ 10 exinget **A** | u≡ices **A** (*in ras.* o), uoces **F** *m. 1* ‖ 11 H(a)ec **F** *m. 2*, **V** *m. 2*, **N**: Nec **O** | compescet **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: componet **O** ‖ 12 Adonis (*coll. Cat.* 29, 8) *scripsi*: amicus **O** (*nisi quod* cunicus, *quod corr. mg. m. 2*, **F**) iniquus *Guyetus*; *non commendauerim* amator, *cum uagi et inconstantis amatoris notione sit opus* ‖ 13 Haec cano non *scripsi* (*Mus. Rhen.* 31, 638): H(a)ec ego non **O** (*et* **F** *et* **N** *m. 1 om.* ego), *quo seruato* aio *pro* malo *Hauptius* | uago *coni. Francius* | augere **F**, **N** *m. 1* (aug²e **A**) ‖ 15 uintum **F** *m. 1* ‖ 16 iniectis **D V** (**F** *m. 2*): in lectis **A F** inlectis **N** ‖ 17 aptatis *Burmannus* oblatis *Huschkius* obtentis *Hertzbergius* | labris *Passeratius*: uerbis **O** membris *Scaliger* | 19 dimittere *scripsi*: diducere (ded. **F** *m. 1*) **O**; *sed quid sententia requirat docet* I 10, 9 ‖ 21 hęmonio **V** *m. 2*: emonio **O** hemonio **N** | salamon. **A N** salomon. **F** | missus **F** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*) | en ip̃eo (*coniunxit m. 2*) **F** en ip̃e **A** enipheo **D V** ‖ 22 Tenarius **A D N**, *et ex* Denarius *corr.* **F** | possit **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 24 in aethereis (eth'eis) *Conr. Rossbergius*: in etheis **A** ine theis **F** in aethaeis **N** in ę°theis **V** (-tęis *corr. m. 2*), in oetheis **D** ab Oetaeis *Scaliger*, *quo accepto* rogis *Schraderus coni.* ‖ 25 omnes **A F N** | amores *Lachmannus*: amantes **O** amatas *Eldikius* ‖ 26 Nam] *malim* Iam *uel* Nunc | ille **V** *m. 2*

Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus,
  Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, cum sit Ioue dignae proxima Ledae
  Et Ledae partu gratior, una tribus,
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
  Illa suis uerbis cogat amare Iouem.
Tu uero, quoniam semel es periturus amore,
  Utere: non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit, felix quoniam nouus incidit error;
  Et, quaecumque uoles, una sit ista tibi.

XIV.

Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
  Lesbia Mentoreo uina bibas opere,
Et modo tam celeres mireris currere lintres
  Et modo tam tardas funibus ire rates,
Et nemus unde satas intendat uertice siluas,
  Urgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo ualeant contendere amori:
  Nescit Amor magnis cedere diuitiis.
Nam siue optatam mecum trahit illa quietem,
  Seu facili totum ducit amore diem,
Tum mihi Pactoli ueniunt sub tecta liquores,

Var. lect. 28 adduci **A F N** (*in* **F** *corr. m. 2*) ‖ 29 dignae *Heinsius*: digna et **O** | lede **A F** laede **N** ‖ 30 lede **A F N** ledae e partu **V** *m. 2* | partu ut **F** *m. 1* | gracior **A** ‖ 31 in hachiis — erohinis **F** ‖ 32 Ille **D** | amore **A**, **F** *m. 1* ‖ 33 Tum uero **D V** (*in hoc* m *eras. m. 2*) | quoniam] quẽ **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 34 Utere **O**: Urere ς | lumine **F** *m. 1*, **V** *in textu* (*corr. mg. m. 2*), **D** *pro uar. lect. in mg.* ‖ 36 quaecunque **D V**: quocumque **A F N** (*hic* — unque) quodcumque ς quotcumque *Fruterius et Dousa*; *sed cf. u.* 12 noua, II 22, 18 aliquid

XIV. *Noua elegia cum titulo* ad diuitem (mitem **F**) *in* **O** ‖ 1 tyber. **A F N** | ulua *coni. Marklandus* ‖ 2 mentorio **V** ‖ 3 iam **A F** | lyntres **N** ‖ 4 iam **A F** | finibus **A F** ‖ 5 Ut — incingat *coni. Fonteinius* | unde *Lachmannus*: omne **O** amne (= in ripa) *uel* arte *Fonteinius* ‖ 6 quantus **D V** ‖ 11 ueniant **A**, **F** *m. 1*

Et legitur rubris gemma sub aequoribus:
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges;
Quae maneant, dum me fata perire uolent.
Nam quis diuitiis aduerso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere uires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor;
Illa neque Arabium metuit transcendere limen
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro
Et miserum toto iuuenem uersare cubili:
Quid releuent uariis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla uerebor
Regna uel Alcinoi munera despicere.

XV.

Saepe ego multa tuae leuitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Aspice me quanto rapiat fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore uenis,
Et potes hesternos manibus componere crines
Et longa faciem quaerere desidia,
Nec minus Eois pectus uariare lapillis,
Ut formosa nouo quae parat ire uiro.

Var. lect. 13 sua gaudia *Burmannus* ‖ 15 diuiciis **A** ‖ 16 praedia *coni. Fonteinius* | sunt **D V** ‖ 19 arabtum **A F** (*in* **A** t *ita ut etiam pro* i *possit haberi*); atratum *Graeuius*, auratum *uel* aeratum *Heinsius* | limen *om.* **A**, **F** *m. 1*; conscendere lectum *coni. Burmannus* ‖ 20 hostrino **F** | thoro **A F N** ‖ 22 releuent **O**: releuant **F** *m. 2* **N** releuat **V** *m. 2* | testil. **F** ‖ 23 non nulla **F**; non Lyda *coni. Marklandus* | uerebor; o *ex corr.* **V** ‖ 24 uel **O**: nec ς | alcinoy **F** alcioni **D**

XV. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam (cinth.) *in* **O** ‖ 2 Fac **N** ‖ 3 procella *coni. Marklandus* ‖ 5 hesternos **A N** (**V** *m. 2*): externos **D F** esternos **V** incertos acubus comp. *coni. Fonteinius* ‖ 6 fatiem **N** | quere desidiam (m *suppuncta*) **A** ‖ 7 eois **D V**: ħ (= haec) chois **A** (et chois **N**) ḥẹç ehoyis **F** ‖ 8 Et form. **A**, **F** *m. 1*

At non sic Ithaci digressu mota Calypso
10 Desertis olim fleuerat aequoribus:
Multos illa dies incomptis maesta capillis
Sederat iniusto multa locuta salo,
Et quamuis numquam post haec uisura dolebat
14 Illa tamen longae conscia laetitiae.
17 Nec sic Aesoniden rapientibus anxia uentis
Hypsipyle uacuo constitit in thalamo:
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
20 Ut semel Haemonio tabuit hospitio.
15 Alphesiboea suos ulta est pro coniuge fratres,
16 Sanguinis et cari uincula rupit amor.
21 Coniugis Euadne miseros elata per ignes
Occidit, Argiuae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit conuertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
25 Desine iam reuocare tuis periuria uerbis,
Cynthia, et oblitos parce mouere deos,
Audax, a nimium nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.
Nulla prius uasto labentur flumina ponto,
30 Annus et inuersas duxerit ante uices,

Var. lect. 9 Et **A**, **F** *m. 1* | ithaci **V** *m. 2*: itaci **D V** ytachi **A F** ythaci **N** | morte **F** *m. 1*; immota *Graeuius* | calipso (chal. **A**) **O**, *corr.* **V** *m. 2*, **N** ‖ 11 Multis **D**, **V** *m. 1* | incontis **F** ‖ 12 Sed erat **D** ‖ 14 leticie **A** ‖ *uu. qui sunt in* **O** 15 *et* 16 *post* 20 *transposuerunt Marklandus et Schraderus* (*post* 22 *maluit Lachmannus*) | 15 Alphisiboea **A F N** (Alphoesib. **F** *m. 2*) | 17 esoniden **A** exoniden **F** exonidem **D** ęsonidem **V** ‖ 18, 19 Hy^p siphile (Hysiphile **N**) *et* Hypsiphile **A N**, Ysiphyle *et* Ysiphile **F**, Hipsipile *bis* **D** Hipsipyle *bis* **V** (y *ex corr. m. 1*) ‖ 20 aemonio **D** (*sed* a *ex corr.*), **V** *m. 1* | hospicio **A D** ‖ 21 aeuadnae **D** ęuadne **V** (*ex* euadne = Euhadne *archetypi?*) | seros *Heinsius* mixtos *Burmannus* | illata *Guyetus* ablata *Lachmannus* laetata *Peerlkampius*; *sed* elata *aequat fere* concitata *et* magnanima | 22 pudicicie **A** ‖ 23 Harum *Francius* ‖ 24 quoque] q^o **A** qud' (*mgo m. 2* q^o;) **F** | hystoria **A N** ystoria **F** ‖ 27 ha **A F** ah *ceteri* ‖ 28 S quod **A** (quod *etiam* **F**) ‖ tibi] mihi ς ‖ 29 Nulla *Passeratius*: Multa **O** Muta *Muretus* | labantur *Marklandus* ‖ 30 inuersis **A**, **F** *m. 1* | uias **F** uices, es *fortasse ex corr.* **A**.

Quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
Sis quodcumque uoles, non aliena tamen,
Dum tibi ne uiles isti uideantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidia est.
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus:
Et contra magnum potes hos attollere solem,
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores
Et fletum inuitis ducere luminibus?
Quis ego nunc pereo, similes moniturus amantes
'O nullis tutum credere blanditiis.'

XVI.

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
Ianua Tarpeiae nota pudicitiae,
Cuius inaurati celebrarunt limina currus
Captorum lacrimis humida supplicibus,
Nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis saepe queror manibus,
Et mihi non desunt turpes pendere corollae
8 Semper et exclusi signa iacere faces.
11 Nec tamen illa suo reuocatur parcere famae,

Var. lect. 31 nostro imitetur mutetur **A** ‖ 33 Dum tibi *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 77): Quam tibi **O** Quam mihi ς, *qua praua lectione innisi alii alia temptabant* ‖ 35 uitabas **F**, *corr. mg.* | quod **A F** ‖ 36 exciderint **D V** ‖ 38 amisse **F** *m. 1* | nequicie **A** nequiciae **D** ‖ 39 Quid **D V** (*in hoc corr. m. 2*) | nullos *coni. Heinsius*; *malim* multo p. colore, *ut hoc illi* inuitis luminibus *contrarium sit* ‖ 41 moriturus **N** *m. 1* | 42 blandiciis **A D**

XVI. *Noua elegia cum titulo* uerba ianuae conquerentis (*om.* **F**) *in* **O** ‖ 1 trihumphis **A** ‖ 2 tarpeye **F** | pudicicie **A** ‖ 3 lumina **A F** ‖ 5 sautia **F** ‖ 6 Pulsata "sepe q. m. "indignis **A** ‖ 8 exclusi *Lipsius*: exclusis **O** | tenere (*mg. m. 2* iacere) **V** ‖ *uu. qui sunt in* **O** 9, 10 *et* 11, 12 *inter se transposui* (11 *et* 12 *delebat Lachmannus*, *postea in finem carminis traiciendos putabat*)

12 Purior et saecli uiuere luxuria;
9 Nec possum infamis dominae defendere noctes,
10 Nobilis obscenis tradita carminibus.
13 Has inter grauibus cogor deflere querellis,
Supplicis a longis tristior excubiis.
Ille meos numquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia.
'Ianua uel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur numquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtiuas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori,
Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu:
Tu sola humanos numquam miserata dolores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam traiecta caua mea uocula rima
Percussas dominae uertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget et inuitis spiritus in lacrimis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto:
At mea nocturno uerba cadunt Zephyro.

VAR. LECT. 9 possim **A F** (*in hoc corr. m. 2*) | dnę (i *suprascr. m. 2*) **V** ‖ 10 tradita] reddita *Burmannus* ‖ 12 Purior *Fonteinius*, *Maduigius*: Turpior **O** Turpi nec *I. H. Vossius* Turpior it *Hauptius aliquando* | sedi **F** (*corr. m. 2 mg.*) | luxiria **N** ‖ 13 Haec inter *Passeratius* Has igitur *Lachmannus* | deflere] *malim* durare *cf.* I 6, 11 | querelis **O** ‖ 14 ah longas — excubias *Broukhusius* ‖ 15 nuquam **N** ‖ 16 blandicia **A D N** ‖ 17 penitus] precibus *Burmannus* paene o *Fonteinius* ‖ 18 tam **D V**: iam **A F N** ‖ 22 Tristis ς: Turpis **O**; *malim* Semper | lumine **D** (limine *idem in mg. pro uaria lect.*), **V** *m. 1* | sompnus **A N** ‖ 23 medice **A**, **F** *m. 1*; *num* piceae (*retento* plena) ? | prona ς: plena **O** ‖ 26 Respondens **F** *m. 1* ‖ 27 uocula] iacula **A**, **F** *m. 1* ‖ 29 sycano **A** siccano **V** *m. 1* ‖ 30 calibe **A F** chalibe **V** *m. 1* ‖ 32 sp̄c **N** ‖ 34 zephiro **A F N**

Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris,
Victa meis numquam, ianua, muneribus.
Te non ulla meae laesit petulantia linguae,
Quae solet ingrato dicere probra loco,
Ut me tam longa raucum patiare querella
Sollicitas triuio peruigilare moras.
At tibi saepe nouo deduxi carmina uersu,
Osculaque inpressis fixa dedi gradibus.
Ante tuos quotiens uerti me, perfida, postes,
Debitaque occultis uota tuli manibus!'
Haec ille et si quae miseri nouistis amantes
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae uitiis et semper amantis
Fletibus alterna differor inuidia.

XVII.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor alcyonas.
Nec mihi Casiopest olim uisura carinam,
Omniaque ingrato litore uota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, uenti:
Aspice, quam saeuas increpet aura minas.

VAR. LECT. 35 tu causa maxima dol. **F** | doloris *m. 2 ex* doris *corr.* **V** ‖ 37 petulancia **A** ‖ 38 ingrato *Fruterius et Dousa*: irato **O** iratus *Itali* irato — ioco *Heinsius* iratus — dolor *Fonteinius* irato — sono *ipse conieci* | probra *scripsi*: tota **O** turba ς trita *Scaliger* (*hoc sensu* nota *melius foret*) multa *Graeuius* torua *uel* pota *Heinsius* ficta *Fonteinius* figere theta *L. Muellerus* ‖ 39 paciare **A** | querela **O** ‖ 42 impr. **D V** | inflexis — genibus *Burmannus* | fixa *Graeuius et Heinsius*: nixa **O** ‖ 43 quociens **A** ‖ 44 ocultis **F N** ‖ 46 Et] En *uel* Heu *Heinsius* Haec *Liuineius*; *malim* In (= inter) ‖ 47 nunc] et **A F** ‖ 48 alterna *Marklandus*: (a)eterna **O** (ect. **F** *m. 1*) | differor **V** *m. 2*: deferor **O**

XVII. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam *in* **O** ‖ 2 alcinias **F** alcinoas **D** alcynoas **V** (*huius mg. m. 2* halcyonas) ‖ 3 Casiopest olim *scripsi*: casiope (caliope **F** *m. 1*, casiopae **D V**) solito **O** solitam *Passeratius* solidam *Wyttenbachius* (saluam *L. Muellerus*) Cassiopes statio *Lachmannus* ‖ 4 Omnia que **A D** ‖ 5 Qin **V** | tibi *supra lin. add.* **N** | 6 increpet **D V**: increpat **A F N** (**V** *m. 2*)

Nullane placatae ueniet fortuna procellae?
  Haeccine parua meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saeuas conuerte querellas:
  Sat tibi sit poenae nox et iniqua uada.
An poteris siccis mea fata reposcere ocellis,
  Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
A pereat, quicumque rates et uela parauit
  Primus et inuito gurgite fecit iter.
Nonne fuit leuius dominae peruincere mores
  (Quamuis dura, tamen rara puella fuit),
Quam sic ignotis circumdata litora siluis
  Cernere et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
  Ultimus et posito staret amore lapis,
Illa meo caros donasset funere crines,
  Molliter et tenera poneret ossa rosa;
Illa meum extremo clamasset puluere nomen,
  Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At uos aequoreae formosa Doride natae,
  Candida felici soluite uela noto:
Si quando uestras labens Amor attigit undas,
  Mansuetis socio parcite litoribus.

Var. lect. 8 harena **D V** || 9 querelas **O** (*in* **A** *m. 2 add.*) || 11 reposcere *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 78): reponere **O** opponere ς exponere *Graeuius* || 15 Ha **A F** Ah *ceteri* | et bella **F** || 15 leuius **O**: melius ς || 16 cara **V** *m. 2* || 18 optatas **D V** (*in hoc corr. m. 2*) | tind. **A F** || 19 meum] demum **A**, *om.* **F** *in lac. 6 litt.* | sepelissent *m. 1 ex* peperissent *corr.* **A**, peperissent **F** (*mg. m. 2* meum rupissent) || 20 Ultius **F** *m. 1* | exposito *Graeuius* | honore *Itali* || 21 meos caro **V** *m. 2* || 26 noto **D V**: choro **A F N** || 27 *om.* **F** (*in mg. add. m. 2*) || 28 sotio **D F**, **V** *m. 1* | *malim* socium porgite | thoribus **F** *m. 1*

XVIII.

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
  Et uacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre inpune dolores,
  Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
  Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
  Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
  An noua tristitiae causa puella tuae?
Sic mihi te referas leuis, ut non altera nostro
  Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamuis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
  Non ita saeua tamen uenerit ira mea,
Ut tibi sim merito semper furor et tua per me
  Lumina deiectis turpia sint lacrimis.
An quia dura damus mutato signa calore,
  Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
  Fagus et Arcadio pinus amata deo:
A quotiens tenera has resonant mea uerba sub umbras,
  Scribitur et uestris Cynthia corticibus!

VAR. LECT. XVIII. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam *in* **O** 1 tacitura **V** (*corr. mg. m. 2*) ‖ 2 Et] Nec *Fonteinius* | zephiri **A F N** 3 ocultos **F N** | impune **A D** ‖ 4 quaeant **D** ‖ 5 mea] me **F** *m. 1* ‖ 7 numerabar inter **A F** ‖ 9 Quid tandem *Fonteinius* | quam te **F** *m. 1* | crimina ϛ, *Lipsius*: carmina **O** ‖ 10 tristici(a)e **A V** ‖ 12 firmosos **D**, **V** *m. 1* | illa **N** *m. 1* ‖ 14 scęna **V** *m. 1* ‖ 15 fluor A | per me *scripsi*: flendo **O** *ex interpretamento ad u. seq. adscripto* ‖ 16 deiectis ϛ: dilectis **O** delectis **V** *m. 2* **N** | turgida *Heinsius* | sim **F** *m. 1* ‖ 17 dura *scripsi* (*cf. Misc. Crit. p. 79*): parua **O** rara *Burmannus* parca *H. Bosscha* | lingua **F** *m. 1* | calore **V** *mg. m. 2*: colore **O** ‖ 18 non nulla **D V**; non multa *H. Bosscha* ‖ 19 arbor **V** *m. 2*, **N**: ardor **O** ‖ 20 archadio **F N** argadio **A** | amata **D V**: amica **A F N** ‖ 21 Ha **A F** Ah *ceteri* | tenera has *scripsi l. l.*: teneras **O** uestras *hic et* teneris *u. 22*, *Schraderus et Koppiersius* | me **F** ‖ 22 nostris **A F** (**V** *m. 2*)

A, tua quot peperit nobis iniuria curas,
  Quae solum tacitis cognita sunt foliis!
Omnia consueui timidus perferre superbae
  Iussa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo dumosi montes et frigida rupes
  Et datur inculto tramite dura quies;
Et quodcumque meae possunt narrare querellae,
  Cogor ut argutae dicere solus aues.
Sed qualiscumque es, resonent mihi 'Cynthia' siluae,
  Nec deserta tuo nomine saxa uacent.

XIX.

Non ego nunc tristes uereor, mea Cynthia, Manes,
  Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
  Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leuiter nostris puer haesit ocellis,
  Ut meus oblito puluis amore uacet.
Illic Phylacides iocundae coniugis heros
  Non potuit caecis inmemor esse locis,
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
  Thessalis antiquam uenerat umbra domum.
Illic quidquid ero, semper tua dicar imago:
  Traicit et fati litora magnus amor.

Var. lect. 23 Ah tua quot ς: An tua quod **O** (*cf. Misc. Crit. l. l.*) ‖ 24 foliis *scripsi l. l.*: foribus **O** ‖ 26 fassa **F** *m. 1* ‖ 27 dumosi montes *Heinsius*: diuini fontes **O** decidui fontes *Fonteinius*, *alii alia* | 28 trāmite **D V** ‖ 29, 30 Ut — Cogar *Fonteinius* | querellae **D**, **V** *m. 1*: querel(a)e *ceteri* ‖ 30 ut argutae *scripsi l. l.*: ad argutas **O** ‖ 31 resonant' **A**, **F** *m. 1* | tibi **F** *m. 1* ‖ 32 iacent **N** *m. 1*

XIX. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam *in* **O** ‖ 1 non tristos **N** *m. 1* ‖ 3 mihi careat **F** *m. 1* ‖ 4 obsequiis **F** *m. 1* ‖ 5 nostris **V** *m. 2*: noster **O** ‖ 7 philac. **O** ‖ 8—11 *om.* **F** ‖ 8 immemor **A D V** ‖ 9 cupidus, u *m. 2 in ras.* **V** ‖ 10 Thessalis **D V**: T(h)essalus **A N** | uenerat **A N** (**V** *m. 2*): uerberat **D V**; *latet aliud* (*num* peruolat *?*) ‖ 11 quiquid **A** quicquid **N** | ymago **A** ‖ 12 fatti **V** *m. 1*

Illic formosae ueniant chorus heroinae,
  Quas dedit Argiuis Dardana praeda uiris:
Harum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
  Gratior, et Tellus hoc ita iusta sinat.
Quamuis te longae remorentur fata senectae,
  Cara tamen lacrimis ossa futura meis.
Quae cum mixta mea possim sentire fauilla,
  Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam uereor ne te contempto, Cynthia, busto
  Abstrahat a nostro puluere iniquus Amor,
Cogat et inuitam lacrimas siccare cadentes!
  Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes:
  Non satis est ullo tempore longus amor.

XX.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
  Id tibi ne uacuo defluat ex animo:
Saepe inprudenti fortuna occurrit amanti:
  Crudelis Minuis sic erat Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
  Thiodamanteo proximus ardor Hylae:

Var. lect. 13 Illuc **V** *m. 2* | ueniat **D**, **V** *m. 1* | corus **F** ‖ 15—17 *om.* **F**, *add. m. 2 mg.* ‖ 15 Harum *Heinsius*: Quarum **O** ‖ 16 Gracior **A** 17 longe te **A N** ‖ 18 tuis *Scaliger* ‖ 19 cum mixta m. possim *scripsi*: tu uina m. possis **O**; *cf. Prolegg.* ‖ 20 Tu **N** *m. 1* ‖ 21 contenta **F**, *corr. mg. m. 2* ṣcynthia **A** ‖ 22 Abstrat **A F** Abstraat **N** | a ς: e **O**; *conicias* en *uel* heu ‖ 23 inuitas **D**, **F** *m. 1* ‖ 25 *fortasse* interea laetemur

XX. *Noua elegia cum titulo* ad gallum *in* **O** ‖ 1 Hoc **D V**, **N**: Nec **A F**; Haec ς ‖ 3 impr. **A** | fors dura *coni. Fonteinius* | currit **A**, **F** *m. 1* ocurrit **N** ‖ 4 Minuis *ego*: minius **A F**, **V** *m. 1* (nimius *m. 2 corr.*, minyis *mg. m. 2*) minimus **D** miniis **N** | sic erat *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 82): dixerat **O** (dixerit **N**) ‖ 5 *conieci* non inpar specie ‖ 6 Thedoramanteo **A** Tedoram antheo **F** *m. 1* (Terodom *m. 2*) Thcrodạmanteo **N**, Therodomantheo **D** Therodamanthęo **V** (h *del. m. 2*) | ile **F** yle **A** hilę **N** hylle **D**

Huic tu, siue leges Umbrae sacra flumina siluae,
Siue Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Siue Gigantea spatiabere litoris ora,
Siue ubicumque uago fluminis hospitio,
Nympharum cupidas semper defende rapinas
(Non minor Ausoniis est amor Hydriasin),
Ne tibi sit duros montes et frigida saxa,
Galle, neque experto semper adire lacus:
Quae miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleuerat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasae naualibus Argon
Egressam longe Phasidos isse uiam,
Et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
Mollia composita litora fronde tegit.
At comes inuicti iuuenis processerat ultra
Raram sepositi quaerere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,

Var. lect. 7 Huic *Auratus*: Hunc **A F N** Nunc **D V** (*in hoc* Hunc *m. 2*) | Umbrae sacra flumina *Hoeufftius*: umbrosae flumina **O**, *quo retento* Silae *Scaliger male* ‖ 8 amoena **D** | cinxerit **D**, **V** *m. 1* traxerit **F** ‖ 9 giganthea **F** | spetiabere **F** *m. 1* | hora **A** ‖ 10 uagi **V** *m. 1* | hospicio **A** ‖ 11 cupidas semper **D V**: semper cupidas **A F N** | cupidis d. rapinis ς ‖ 12 Hydriasin *Lachmannus*: adriacis **O** et Dryasin *Heinsius* Adryasin *Struuius* ‖ 13 Ne **O**: Nec ς | sit duros *Lipsius*: sint duri **O** sit durum **V** *mg. m. 2* Ne tibi sit (durum) montes *Francius* | frigida] turbida **A F** (*in hoc corr. mg. m. 2*); *unde* torrida *Gronouius* tabida *Lipsius* ‖ 14 experto *Liuineius*: expertos **O** ‖ 15 Quod (*cf. uu.* 1, 2) miseri ignotis ardor *coni. Fonteinius* | horis **A F** ‖ 16 in domito **V**; *fortasse* in Myso | asonio **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 17 pagasse **F**: pegase **A D N** pegasę **V** Pagases *uulgo* | argon **O**: Argo *uulgo* ‖ 18 longo **N** *m. 1* | fassidos **F** | esse **V** *m. 2 mg.* ‖ 20 Missorum **F** | scapulis **V** *m. 2*, **D** *mg. pro uar. lect.*; speculis *coni. Fonteinius* | adpl. **N**: appl. **O** ‖ 21 hominum **F**, *corr. mg. m. 2* (ħoum **A**) | placitis *Heinsius* ‖ 22 littora] **V** *mg. m. 2* tempora | teget **D** ‖ 24 Puram *coni. Fonteinius* | frontis **N** ‖ 26 zetes **V** *m. 2*: zethes **V** rethes **D** zethus **A** zetus **N** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*) zecus **F** | calahis **A**

Oscula suspensis instabant carpere palmis,
  Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
  Et uolucres ramo submouet insidias.
Iam Pandioniae cessat genus Orithyiae:
  A, dolor! ibat Hylas, ibat Enydriasin.
Hic erat Arganthi Pege sub uertice montis
  Grata domus Nymphis humida Thyniasin,
Quam supra nullae pendebant debita curae
  Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum irriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mixta papaueribus,
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
  Proposito florem praetulit officio,
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
  Innixus dextro plena trahens humero;
Quoius ut accensae Hydriades candore puellae
  Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leuiter facili traxere liquore:
  Tum sonitum accito compare fecit Hylas.

VAR. LECT. 27 carpaere *ex* corpore *corr.* **N** *m. 1* | plumis *Liuineius*; plantis **V** *mg. m. 2* ‖ 28 suspina **F** ‖ 29 ali **A** ‖ 30 summouet **A F** ‖ 31 cessat **V** *m. 2*: cesset **O** cessit ς | oriothie **A** orionthie (*mg. m. 2* orithię) **F** orithie **D N** orithye **V** *m. 1* (horithyię *m. 2*) ‖ 32 A **N**: Ha **A F** Ah **D V** ilas **F** ylas **A** hyllas **D** | Enydriasin (Ephydr.) *scripsi l. l.*: amadrias hinc **A F N** hamadrias (-ryas **V**) hinc **D V** at Hydriasin *R. Ungerus* (Hamadryasin *uulgo*) ‖ 33 arganty phege **A** arganthiphege **N** arganti fege **F** arganti phege **D V**; Pegae *Scaliger* Pege *Turnebus* | subuertite **N** ‖ 34 thiniasin **N V**: thiniasim **A** tiniasiȝ **F** thimasim **D** ‖ 35 pendebat **F** ‖ 36 Rosida **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 37 ilia **A F** ‖ 38 purpureas **F** | descerpens **A F** (*in hoc* s *prior suppuncta*); *caue conicias* discerpens | ungụị, *ita* **A** ‖ 43 flumine **A F** ‖ 44 Nixus et exserto *Heinsius* ‖ 45 Quoius **D V**: Cuius **A F N** | ut] in **F** | Hydriades *R. Ungerus*: dryades **D V** driades **A F N** Ciades *Fonteinius* (*a Κίῳ flumine*) ‖ 46 coros **F** ‖ 48 accito compare *scripsi* (*coll. Val. Flacc.* III 562 *aliosque*): rapto corpore **O**, *quod mirifice languet ideoque id ipsum potius mutetur quam u. insequens*; comitem rapto corpore ciuit Hylas *Sandstroemius* s. rapto corpore fecit, 'Hyla' Cui pr. A. iterat. responsa sed illi *Rutgersius*

Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitus seruabis amores
Formosum Nymphis credere uisus Hylam.

XXI.

'Tu, qui consortem properas euadere casum,
Miles, ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum uestrae proxima militiae.
Sic te seruato possint gaudere parentes,
Haec soror acta tuis sentiat e lacrimis,
Gallum per medios ereptum Caesaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus;
Et quaecumque super dispersa inuenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.'

XXII.

Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.

Var. lect. 49 Alcides ter 'Hyla' respondet, at illi *coni. Fonteinius* iterat responset, at illi *Hauptius* ‖ 50 montibus *coni. Heinsius* ‖ 51 monitis **D V** ‖ 52 uisus **O**: rursus **V** *m. 2* tutus *Scaliger* nisus *uel* cautus *Heinsius* fisus *Lachmannus*; *nondum uerum repertum est* | ylam **A** ilam **F** hylā **N** hylam **D V** Hylan *uulgo*

XXI. *Adhaeret priori carmini in* **O** (*non in* **N**), *nisi quod* **A** *mg. signum noui carm.* ‖ 3 Quid **O**: Qui ς | nostro interitu *coni. Heinsius*; *sed latet uitium in* nostro, *pro quo* maesto *uel* longo *proposuerim* | torquens **D**, **V** *m. 1* ‖ 4 proxima *corruptum* (*num* prodita ?); maxima **V** *mg. m. 2* | milicie **A** ‖ 5 Si **D** | seruato ut possint **O**; ut *deleuit Passeratius*; *num* te ut s. p. ? | possin **F** *m. 1* ‖ 6 Haec *Beroaldus*: Ne **O** Nec ς | Acca *coni. Scaliger*; *erat cum conicerem* atra | ruis **A**, **F** *m. 1* | senciat **A** ‖ 7 elapsum *Marklandus* | ereptum p cesis **F** (*mg. m. 2* p cesaris *ita*) ‖ 8 minas **V** *mg. m. 2* ‖ 9 quicunque **D V** ‖ 10 mea] tua **N** *m. 2*

XXII. *Noua elegia cum titulo* ad tullum *in* **O** (*coniungit priori* **N**) ‖ 1 domus **V** *m. 2*

Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
  Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia ciues
  (Sic mihi praecipue, puluis Etrusca, dolor:
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
  Tu nullo miseri contegis ossa solo),
Proxima subposito contingens Umbria campo
  Me genuit terris fertilis uberibus.

Var. lect. 3 patriae] *puto* patrum | sepulchra **A**; sepultae *coni. Scaliger* ‖ 4 Italye **A**; Italiae et duris *coni. Lachmannus* ‖ 6 Sic ς: Sit **O** Sis *Scaliger* Fis *Heinsius* | praecipuae **N**, **V** *m. 1* ‖ 7 Tu **V** (*a m. 1 ?*), **F** *corr.*, **N**: Et **A D F**, *ut hoc in* **O** *fuisse non dubitem*; *fortasse transponenda initia uu.* 7 *et* 8 (Tu proiecta — Et nullo) | est **D** ‖ 8 Tum **D** ‖ 9 subpos. **A N**: suppos. *ceteri* ‖ 10 ferulis **A**, **F** *m. 1*

SEX. PROPERTII ELEGIARUM

LIB. II.

I.

Quaeritis, unde mihi totiens scribantur amores,
  Unde meus ueniat mollis in ora liber.
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
4 Ingenium nobis ipsa puella facit.
7 Seu uidi ad frontem sparsos errare capillos,
8 Gaudet laudatis ire superba comis;
5 Siue illam Cois fulgentem incedere coccis,
6 Hac totum e Coa ueste uolumen erit;
9 Siue lyrae carmen digitis percussit eburnis,
10 Miramur, facilis ut premat arte manus;

Testimonium. I, 2 adfert Caesius Bassus [gramm. lat. K. VI p. 264, 10]

Var. lect. Incip̄ lib' sc̄d̄s ad mecenatē **A** *litt. rubr.* Liber pͥmus explicit. Incipit secūdus ad mecenateȝ **F** Propertii aurelii nautae liber secundus incipit ad mecenatem **D** *litt. maiusc. uersicoloribus, idem uoluit* **V**, *in quo multae litterae tituli omissae* ‖ I, 1 tociens **A N V** ‖ 2 hora **F** ore **N** *m. 1* ‖ 3 haec *om.* **F** (mihi *in textu*, hęc *in marg. add. m. 2*) | caliope **D F**, **V** *m. 1* callope *in* calliope *corr.* **A** | dictat ς, *Liuineius* | appollo **F** ‖ 5 chois **O** (choys **F**) | coccis *Lachmannus*: cogis **A F N** (**V** *m. 2 et* **D** *mg. pro uar. lect.*) togis **D V** uidi ς noui *Huschkius* ‖ 6 Hac *scripsi*: Hoc **O** | Totum de Coa *Schraderus* Hoc totum in Coa *coni. Lachmannus* | choa **O** ‖ *uu., qui sunt in* **O** 7 *et* 8, *ante* 5 *posuit Fonteinius* (9, 10; 7, 8; 5, 6 *pos. Lachmannus*) ‖ 7 uidi] mihi **N** *m. 1* ‖ 9 lire **A**; lyra *Heinsius* ‖ 10 faciles **D V** | regat *Schraderus et Hemsterhusius*

Seu iam poscentes somnum declinat ocellos,
  Inuenio causas mille poeta nouas;
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
  Tunc uero longas condimus Iliadas:
Seu quicquid fecit siue est quodcumque locuta,
  Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
  Ut possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
  Impositum, ut caeli Pelion esset iter,
Non ueteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
  Xerxis et imperio bina coisse uada,
Regnaue prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
  Cimbrorumque minas et benefacta Mari:
Bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
  Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quotiens Mutinam aut ciuilia busta Philippos
  Aut canerem Siculae classica bella fugae
Euersosque focos antiquae gentis Etruscae,
  Aut Ptolomaei litora capta Phari
Et canerem Coptum et Nilum, cum atratus in urbem
  Septem captiuis debilis ibat aquis,
Aut regum auratis circumdata colla catenis,

Var. lect. 11 iam *ego*: cum **O** composcentes (= ualde posc) *exemplis caret* sompnum **A N**; somnus ς ‖ 14 Tunc **A F**: Tum *ceteri* | yliadas **A F** 15 quiquid **A** ‖ 16 hystoria **A N** ‖ 17 mecēnas **D** ‖ 19 tytanas **A** thitanas **F** | Ossan] tytan **A** thitan **F** (*corr. mg. m. 2*) | olimpo **A F** ‖ 20 Impositum **D V**: Impositam **A F N** ‖ 21 Nec **D V** *et* **N** | pergã **N** ‖ 22 Xersis **A F N** Xerxiue (Xerxi aut) imperio *Lachmannus* | coysse **F** ‖ 23 cartag. **A F** karthagīs **D** ‖ 24 Cymborumq; **A** Cimborumq; **F** (*in hoc corr. m. 2*); Cimbrorumue *Lachmannus* | iminas **A** ‖ 27 quociens **A** ‖ 30 Aut *Schraderus* (*cf. u.* 31): Et **O** | tholomenei **A F** ptolomenei **N** ptholomenei **V** ptholomeae **D** Ptolemaeeae *uulgo* (*at cf. Hertzbergius*); *formam* Ptolom. *reduxit L. Muellerus* | fari **F** pari (h above) **A** ‖ 31 Et *Schraderus*: Aut **O** | canerm **F** | Coptum *scripsi*: cyptum **A N** ciptum (c *in* g *corr. m. 2*) **F** cyprum **D V** Aegyptum *uulgo praue*, canere inciperem *Lachmannus* | cum] ē **F** *m. 1* (c̄ = cum **A**) | atratus *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 83): attractus **A N** atractatus **F** tractus **D V** ‖ 33 aurat **A**, **F** *m. 1* | cathenis **A D**

Actiaque in Sacra currere rostra Via,
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta et posita pace fidele caput,
Theseus ut laruis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Sed neque Phlegraeos Iouis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus,
Nec mea conueniunt duro praecordia uersu
Caesaris in Phrygios condere nomen auos.
Nauita de uentis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles uulnera, pastor oues,
Nos contra angusto uersantes praelia lecto:
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus altera, si datur uni
Posse frui: fruar o solus amore meo!
Si memini, solet illa leuis culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sunt tangenda nouercae pocula Phaedrae,
Pocula priuigno non nocitura suo,
Seu mihi Circaeo pereundum est gramine siue
Colchis Iolciacis urat ahena focis:
Una meos quoniam praedata est femina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.

Var. lect. 35 contexerit **O**, *corr.* ς ‖ 36 pacem **N** *m. 1* | capud **A** ‖ 37 ut laruis *temptaui*: infernis **O**, *quo retento* ceu fatur *Lachmannus*; *Burmannus distichon totum aliunde inlatum*, *Fonteinius et Struuius aliique spurium habent*; *Keilius ante* 37 *distichon intercidisse putat* ‖ 38 hyxioniden **A**, exionidem (hix. *m. 2*) **F** | menecciaden **A N V** meneaciden **D F** (*huius mg.* meneciadē) ‖ 39 neque] illeq; (*mg.* nec) **F** | flegreos **O** | enchel. *et* **F** *et* **V** *m. 2* ‖ 40 calimacus **F** ‖ 41 praeueniunt **A F** ‖ 42 frigios **A F** ‖ 44 Et numerat **N** ‖ 45 augusto **F** | uersamus *Volscus* uersantis *L. Muellerus* ‖ 46 mea (meo *m. 2*) concreat **F** ‖ 47 uni *Hoeufftius et H. Bosscha*: uno **O** laus si datur altera uiuo ς ‖ 49 ille **D V** | leuis **D F V**: leu·s **A N** ‖ 50 elena **F** ‖ 51 sunt **A F N**: sint **D V** | phed$\overset{r}{e}$ **A** fedrae **D V** ‖ 53 cureo **F** *m. 1* | gramine] sanguine **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 54 Cholchis **D N V**, *et* **A** *ita ut prior* h *suppuncta sit* | Iolciacis *Scaliger*: C(h)olchiacis **O** | urat *num integrum ?* | ahena **D V**: aena *ceteri* ‖ 56 ducetur **D** | funera *bis* **A F** (*in* **A** *alterum expunctum*) ‖ *a u.* 57 *nouam elegiam constituit Heimreichius post* 70 *inserens* II 4, 17—26

Omnis humanos sanat medicina dolores:
  Solus amor morbi non habet artificem.
Tarda Philoctetae sanauit crura Machaon,
  Phoenicis Chiron lumina Phillyrides,
Et deus extinctum Cresis Epidaurius herbis
  Restituit patriis Androgeona focis,
Mysus et Haemonia iuuenis qua cuspide uulnus
  Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis uitium poterit mihi demere, solus
  Tantaleae poterit tradere poma manu;
Dolia uirgineis idem ille repleuerit umbris,
  Ne tenera assidua colla grauentur aqua;
Idem Caucasea soluet de rupe Promethei
  Brachia et a medio pectore pellet auem.
Quandocumque igitur uitam mea fata reposcent,
  Et breue in exiguo marmore nomen ero,
Maecenas, nostrae spes inuidiosa iuuentae,
  Et uitae et morti gloria iusta meae,
Si te forte meo ducet uia proxima busto,
  Esseda caelatis siste Britanna iugis,
Taliaque illacrimans mutae iace uerba fauillae:
  'Huic misero fatum dura puella fuit.'

VAR. LECT. 57 Omnes **A F N** ‖ 58 habet *Schraderus*: amat **O** (*ex* I 2, 8 *irrepsit*) ‖ 59 philotet(a)e **D F V** philothece **A** | cura **N** *m. 1* ‖ 60 Phenicis **A** Fenicis **F** | philliridos (o *uix ab* e *discernenda*) **A** phillirydos **F** phyllirides **V** phillirides **D N** ‖ 61 Et] E **A** | cresis **O** (craesis **N**): Cressis *uulgo* | epidarius **F** epidauris **V** *m. 1* ‖ 62 patruis **A** | androgeana **F** androgoena **V** ‖ 63 Misus **V** *m. 1*, **F** (*huius m. 2 et* **N** Missus) | emonia **A** aemonia **D**; Haemonii *coni. Heinsius* | uiuens **A F** (*in hoc* i *supra* ns *suprascr. m. 2*) | *in u.* 63 *desinit* **A** ‖ 66 Tantaleae *Beroaldus*: Tantalea **O** (Tantelea **N**) *quo retento* carpere *Latinus Latinius*, radere *Heinsius* ‖ 67 umbris *scripsi*: urnis **O** ‖ 69 Ide **F** | caucasea **D V** (*secundum Propertii usum*): caucasia **F N** ‖ 70 Brachide **F** Bracchia **D** Brachia (*alt.* c *fortasse m. 1 suprascr.*) **V** ‖ 70 pelles **F** ‖ 71 meam (m *suppuncta*) **F**; me *coni. Heinsius* ‖ 73 spes **O**: pars ς ‖ 75 ducit **D**, **V** *m. 1* | uia *om.* **F** *m. 1* ‖ 76 britauria nigris **F** ‖ 77 Talia que lacrimans **F** ‖ 78 *ab hoc uersu in* **N** *noua elegia incipit*

II.

Liber eram et uacuo meditabar uiuere lecto:
At me composita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
Iuppiter, ignoro pristina furta tua.
Fulua coma est longaeque manus, et maxima toto
Corpore, et incedit uel Ioue digna soror,
Ut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferae pectus operta comis;
Qualis et Ischomache Lapithae genus heroine,
Centauris medio grata rapina mero,
Sera uiro sacris fertur Boebeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.
Cedite iam, diuae, quas pastor uiderat olim
Idaeis tunicas ponere uerticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumaeae saecula uatis aget.

Var. lect. II. *Noua elegia in* **O** *cum titulo* ad cynthiam (sinthiam **F**) ‖ 3 diuina *Burmannus*; *praetulerim* facies Romana *coll.* 3, 30 | 4 Iupiter **F** | ignosco **N** *m. 2*, **V** *m. 2*; ignoras — tua? *Fonteinius* | fata **N** ‖ 5 Fulua q; (q; *expunctum m. 2*) **F** | toto *ex* tote *corr.* **F** ‖ 6 Corporeq; incedit **F**, *corr. m. 2* | ceu I. d. uiro *Heinsius* uel I. dignus amor *Lachmannus* uel I. d. solo *ego Misc. Crit. p.* 84 ‖ 7 Ut cum ς *Liuineius*: Aut cum **O** | dulchias **V** *m. 1*; Munychias ς ‖ 9 istomace **F**; Ischomachi *Schneidewinus* | lapithe **N**: lapite **F** laphite **D** laphitę **V** ‖ 11 Sera uiro *scripsi*: Mercurio **F N** Mercurioque **D V** Perithoo *A. Palmer*; *cf. Prolegg.* | sacris *Passeratius*: satis **O** sanctis ς Sais *Dom. Calderinus* Ossaeis *Burmannus*; *an* tutis? | boebeidos **N** *m. 2*: bobeidos **D V**, **N** *m. 1*, **F** *m. 2*, bobeidas **F** *m. 1* ‖ 12 Virgineum sat **F** | primo **O**: Brimo *Turnebus* ‖ 13 Ceditę **V** | iam ς: etiam **O** ‖ 14 uictricibus **F** ‖ 15 uolit **F** *m. 1* ‖ 16 Et si **D N** Et sicumee (*supra* mee *cruce posita*) **F** cumeae **D V N** | agat **V** *m. 2*

III.

'Qui nullam tibi dicebas iam posse nocere,
Haesisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes, infelix, requiescere mensem,
Et turpis de te iam liber alter erit.'
Quaerebam, sicca si posset piscis arena
Nec solitus ponto uiuere toruus aper,
Aut ego si possem studiis uigilare seueris:
Differtur, numquam tollitur ullus amor.
Nec me tam facies, quamuis sit candida, cepit
(Lilia non domina sunt magis alba mea
Et Maeotica nix, minio si certat Hibero,
Utque rosae puro lacte natant folia),
Nec de more comae per leuia colla fluentes,
Non oculi, geminae, sidera nostra, faces,
Nec sic, quom Arabio lucet bombyce puella
(Non sum de nihilo blandus amator ego),
Quantum quom posito formose saltat Iaccho,
Egit ut euhantes dux Ariadna choros,
Et quantum, Aeolio cum temptat carmina plectro,
Par Aganippeae ludere docta lyrae,
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae
Carminaque a uiuis non putat aequa suis.

VAR. LECT. III. *Noua elegia cum titulo* ad irrisorem *in* **O** ‖ 1 nullam *Heinsius*: nullum **O** ‖ 2 spc̄ **N** ‖ 3 requiescere] cognoscere **F** *m. 1* ‖ 4 *fortasse* tristis ‖ 5 harena **D** ≡arena **V** ‖ 7 serenis **F** *m. 1*, **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 9 quauis **N** | sis **F** *m. 1* ‖ 10 sunt **D V**: sint **F N** ‖ 11 Et **F**: Ut **D V N** | certat ς: certet **O** ‖ 12 lacta **F** *m. 1* | natent **N** *m. 1* ‖ 15 sic quom Arabio *scripsi*: si qua Arabio **O** si quando Araba *Puccius* siquando Arabae — puellae *Heinsius* sic Arabio *Lachmannus* | bombice **O** bonbyce **N**; siqua Arabia (aurata) l. bombycina ueste *Fonteinius* ‖ 17 quom *Lachmannus*: quod **O** | iactat racheo **F** (*mg. m. 2* saltat iaçcho), iacheo **N** *m. 1* iacho **D V** ‖ 18 euantes **D**, **V** *m. 1* eufaues **F** | adriana **D V** adrianna **F** adriagna **N** *m. 1* | coros **F** ‖ 19 Aonio *L. Muellerus* | cum] quod *Guyetus* (*seruato* quod *u.* 17) | tentat **D V** ‖ 20 aganipee — lire **F** ‖ 21 antiq; comictit **F** | 22 Carmina qu(a)e quiuis **O**, *correxi* (*Misc. Crit. p.* 84); † lyrines **V** *mg. m. 2* (*quod est coniectura uel explicatio ad. u.* 21 Corinnae); Carminaque Erinnes *Volscus* Carminaque aequaeuis *Scaliger* Carmina quae quaeuis *A. Palmer*

Num tibi nascenti primis, mea uita, diebus
  Candidus argutum sternuit omen Amor?
Haec tibi contulerunt caelestia munera diui,
  Haec tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non non humani sunt partus talia dona:
  Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis:
  Romana accumbes prima puella Ioui
Nec semper nobiscum humana cubilia uises.
  Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagrat nostra iuuentus?
  Pulcrius hac fuerat, Troia, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
  Europae atque Asiae causa puella fuit;
Nunc, Pari, tu sapiens et tu, Menelae, fuisti:
  Tu quia poscebas, tu quia lentus eras.
Digna sed haec facies, pro qua uel obiret Achilles
  Vel Priamus: belli causa probanda fuit.

Test. III, 24. Macrobius [grammat. lat. Keilii V p. 626, 15]: 'sternuto frequentatiuum est a principali sternuo; Propertius: Candidus' eqs.

Var. lect. 23 Num **F**: Nunc **D V** (*in hoc* c *m. 2 suppunxit*) Non **N** | nascendi *Wopkensius* n. p. mea Cynthia cunis *Fonteinius* nascenti et primis *Lachmannus*; *sed recte idem Fonteinius contulit Manilium* II 833 || 24 Candidus *Macrobius*: Ardidus **F N** Aridus **D V** Aureus *Heinsius* | augustae *Macrobius*, *unde* augustum *Pontanus* | stertuit **D V** || 25 tibi *om.* **N** | contulerunt ς: contulerint **F N** *et, nisi quod ante* c *rasura 1 uel 2 litt.*, **V** cum tulerint **D** | scelestia **F** || 26 Nec **F** *m. 1* | ne **N** ≡ne **V**: me **D F** (*sine dubio* **O**); *num* Nec tibimet? | matrem] uirem **F**, *corr. mg. m. 2* || 27 sunt partus **O**: partus sunt **F** *m. 2* (*signis appositis*), **N** || 28 non pars perrexere bona **F**, *corr. mg. m. 2* || 29 es limata **F**, *corr. mg. m. 2* || 29, 32, 31, 30 *Sterkius*, 31, 30, 29, 32 *Lachmannus transponebant* || 30 accumbens **O** (a^{c}cunbens **V** *m. 1 ex* acun≡ıns *corr.*), *corr.* ς || 33 Hac **F** *m. 2*, **N V**: At **D F** | nun **V** (*corr. mg. m. 2*), n̄ (= non) *in* n^{c} (= nunc) *corr.* **N**; non miror *Fonteinius* | flagrat *idem et Keilius*: flagret **O** || 34 Pulchrius **D V** | hac] at **F** *m. 1* || 39 sed haec *scripsi:* quidem **O** || 40 priamus **O**: priam' *m. 1 ex* priamo *corr.* **N** | foret ς

Si quis uult fama tabulas anteire uetustas,
Hic dominam exemplo ponat in arte meam:
Siue illam Hesperiis siue illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

IV.

His saltem ut tenear iam finibus! a, mihi si quis,
Acrius ut moriar, uenerit alter amor!
At ueluti primo taurus detractat aratra,
Post uenit assueto mollis ad arua iugo,
Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt.
Turpia perpessus uates est uincla Melampus,
Cognitus Iphicli subripuisse boues;
Quem non lucra, magis Pero formosa coegit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.
Multa prius dominae delicta queraris oportet,
Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas,
Et saepe inmeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis,
Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba ualet, non hic nocturna Cytaeis,

VAR. LECT. 42 exemplum *Heinsius* | ponet **D** | arte **D**: ante **F N V** || 43 experiis **F V** || 44 experios **F**

IV. *uu.* 1—10 *cohaerent priori elegiae, a. u.* 11 *noua elegia cum titulo* ad amantem *incipit in* **O**; *corr. Schraderus et Lachmannus* || 1 ah *Puccius*: ā **F** aut **D V N** (*et* **F** *m. 2*) hei *Lachmannus* || 2 *puto* siquis Acrior, ut || 3 At **F**: Ac **D N V** | detractet **F** | aratrum **F** *m. 2* || 4 asueto **D V** | arma ς || 6 post haec] fortes *Eldikius* || 7 est] et **F** | melampus **D**: inlampus (*supra* nl *m. 2* e) **F** nylampus **N V** || 8 iphicli **D**: hiphicli **F** yphicli **N V** (hyph. *huius m. 2*) | surrip. **D V** || 9 non **N V** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*): nunc **D F** | phero **O** || 10 amith. **F N** amych. **D V** (*huius m. 2* amyth.) || 13 inm. **N**: imm. *ceteri* | dentebus **F** *m. 1* || 14 crepitura **F** *m. 1* strepitum **D** (*idem* crepitum *pro uar. lect. in mg.*) | ora **F** *m. 1* || 15 Nequiquam **N** || 17 erba **F** | nocitura **D** (*idem in mg.* nociturna [*sic*] *pro uar. lect.*) | cytheis **D V N** citheis **F**

Non Perimedeae gramina cocta manus.
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus,
Unde tamen ueniant tot mala caeca uia est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger,
Huic nullum caeli tempus et aura nocet:
Ambulat, et subito mirantur funus amici:
Sic est incautum, quicquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci praemia uati?
Quae mea non decies somnia uersat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parui litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia uerbo,
Altera uix ipso sanguine mollis erit.

V.

Hoc uerum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota uiuere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas:
Et nobis aliquo, Cynthia, uentus erit.
Inueniam tamen e multis fallacibus unam,
Quae fieri nostro carmine nota uelit,
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te

VAR. LECT. 18 per mede(a)e **O**, *corr. Itali*; Perimedea — manu *Muretus* | secta *Broukhusius* trita *Heinsius* ‖ 19 ubi] tibi **D** (*et* **V** *m. 1?*) ibi **V** *ex corr.* ‖ 20 ueniat **D** ‖ 22 et *om.* **V** *m. 1* ‖ 23 murantur (o *supra* u *m. 2*) **F**, *qui mg. m. 2* at. mōstratur | subitum miramur f. ς *Heinsius* uiuum m. f. *Marklandus* ‖ 25 praeuia **D V** (*in hoc mg. m. 2, in* **D** *mg. m. 1 pro uar. lect.* praemia) ‖ 27 ille **N V**: ipse **D F** ‖ 29 descendit **F** *m. 1* | cimba **F N**

V. *in* **F N** *adhaeret priori carmini* (*separauit* **N** *m. 2*), *noua in* **D V** *elegia cum titulo* ad cynthiam ‖ 3 Hoc *uirgula addita in* Haec *corr.* **F** | mihi **D V**: mi **F N** ‖ 4 aliquo *H. Bosscha et Lachmannus*: aquilo **O** alio *Burmannus* ‖ 5 tandem *Fonteinius* ‖ 7 H[c] **F**, *corr. mg. m. 2*

Vellicet: heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiae uariant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes uertitur atra Noto,
Quam facile irati uerbo mutantur amantes:
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte, dolebis:
Omne in amore malum, si patiare, leue est.
At tu per dominae Iunonis dulcia iura
Parce tuis animis, uita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti laesa repugnat ouis.
Nec tibi periurae scindam de corpore uestes,
Nec mea praeclusas fregerit ira fores,
Nec tibi conexos iratus carpere crines
Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
Cuius non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non umquam tua deleat acta:
'Cynthia forma potens, Cynthia uerba leuis.'
Crede mihi, quamuis contemnas murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, uersus erit.

VAR. LECT. 8 Vendicet **D V** (*hic mg. m. 2* at uellicet) | eu **F** *m. 1*; en ς ‖ 10 abf. **D V** (*et* **F** *m. 2*): aff. **F N**; *num* aufugiet*?* | corde *Heinsius* ‖ 11 carpathyę **V** ‖ 12 notho **F N** ‖ 14 subtrae **F** ‖ 18 ita **F** ‖ 19 uncis] unctis **F** *m. 1* ‖ 21 periurae **D V**: periuro **F N** (*et* **V** *m. 2*) | uestes **O**: uestem ς ‖ 22 mea] me **D** ‖ 23 conexos **N**: connexos *ceteri* ‖ 26 circumiere **N** ‖ 27 quod nunquam **N** *m. 1* | doleat **N** *m. 1* | acta *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 85): (a)etas **O** ‖ 29 contempnas **F N**

VI.

Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes,
  Ad cuius iacuit Graecia tota fores,
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
  Tanta, in qua populus lusit Ericthonius,
Nec, quae deletas potuit componere Thebas,
  Phryne tam multis facta beata uiris.
Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
  Oscula nec desunt qui tibi iure ferant.
Me iuuenum pictae facies, me nomina laedunt,
  Me tener in cunis et sine uoce puer:
Me laedit si multa tibi dedit oscula mater,
  Me soror et cum quae dormit amica simul:
Omnia me laedunt: timidus sum (ignosce timori)
  Et miser in tunica suspicor esse uirum.
His olim, ut fama est, uitiis ad praelia uentum est:
  His Troiana uides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
  Frangere in aduersum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor,
  Nutritus duro, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas:
  Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.

Var. lect. VI. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam (*om.* **V**) *in* **O** ‖ 1 ephireae **D V**: ephere(a)e **F N** (**V** *mg. m. 2*: ł epherae) | laydos **V** ‖ 2 fores] pedes **D V** ‖ 3 thaydos **F V** ‖ 4 Turba (*mg.* at Tanta) **D** | iniqua **D** | ericthonius **D V N**: erictonius **F** ‖ 5 deletas **F** *m. 2*, **V** *m. 2*: delectas **O** disiectas *Schraderus* | tebas **F** ‖ 6 Phyrne **D N** Phyrnę **V** Phimeram (*pro* tam) **F**, *idem mg.* phirneram ‖ 8 ue desunt **F** (nec *m. 2 suprascr.*, *eadem in mg.* ne desint) | iura **V** *m. 2* ‖ 9 facies picte **F** | faties **N** ‖ 10 cunus **F**, *corr. mg.* ‖ 11 laedit ς: ledes **F** *m. 1* ledet **F** *m. 2* **N** laedes **D** lędet **V** | dedit **V** *m. 2*: dabit **O**; *num* datat*?* ‖ 12 quae *Dousa filius*: qua **O** | dormis **F** ‖ 13 laedunt ς: l(a)edent **O** ‖ 17 iubsit **F** *m. 1* ‖ 18 pyrithoum **F** perithoum **D N V** ‖ 20 dure **F** (*sed* e *difficillime ab* o *dinoscenda*) durae ς ‖ 21 capere raptas (*alt.* p *ex corr.*) **F** *m. 1* | imp. **D V** | 22 Per te] Parce **F** *m. 1* | amans **F** *m. 2*

Felix Admeti coniunx et lectus Ulixis,
Et quaecumque uiri femina limen amat.

*
* *

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si quoiuis nuptae quoilibet esse licet?

*
* *

Quae manus obscenas depinxit prima tabellas
Et posuit casta turpia uisa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.
A! gemat, in terris ista qui protulit arte
Orgia sub tacita condita laetitia.
Non istis olim uariabant tecta figuris:
Tum paries nullo crimine pictus erat.

*
* *

Sed non inmerito uelauit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.

*
* *

Quor igitur tibi custodes per limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?

Var. lect. 23 admeti ς: ameti **O** ‖ 24 uiri **F** *m. 2*: feri **O** ‖ 24—42 *uno tenore exhibet* **O**, *lacunae signa posuit Lachmannus. ceterum uu.* 25, 26 *et* 35—40 *ad carmen sextum*; 27—34 *ad proprium poema, cuius finis perierit*; 41, 42 *ad lacunam, quae est in septimo inter uu.* 12 *et* 13, *pertinuisse uidentur* (*unicum poema putat Heydenreichius uu.* 35 [*ubi* Si non inmerito *scribit*] *et* 36 *ante* 27, *uu.* 23 *et* 24 *ante* 41 *positis*) ‖ 26 quoiuis *scripsi*: quoius **D** quouis **V** cuius **F** cuiuis **N** | quoilibet **D V**: cuilibet **F** quidlibet **N** quolibet ire *Schraderus* | licet] libes **F** *m. 1* ‖ 28 uisa] iussa **D** ‖ 30 uoluit **F** *m. 1* ‖ 31 Ha **F** Ah *ceteri* | gemat in tenebris *coni. Fonteinius* (*quod uerum puto, nimis nude cum positum sit illud* gemat; *cf. et* II 18, 27); gemat aeternum, ficta *Heinsius* | iste **N** ‖ 32 Orgia *Ruhnkenius*: Iurgia **O** | sub] sed **F** ‖ 34 pictus] tectus **F** ‖ 35 immerito **D V** Sed nunc emeritum *Burmannus* ‖ 36 male *Heinsius* ‖ 37 Quor *scripsi*: Quos **O** | per *scripsi*: quae **O** ad *Heinsius* | lumina **F** ‖ 38 Q = Quod **F**, *corr. mg. m. 2*

Nam nihil inuitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

* * *

Nos uxor numquam, numquam diducet amica:
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

VII.

Gauisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Quod nos diuideret. quamuis diducere amantes
Non queat inuitos Iuppiter ipse duos.
'At magnus Caesar.' sed magnus Caesar in armis:
Deuictae gentes nil in amore ualent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere more faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
A, mala tum qualis caneret sub tibia somnos,
Tibia, funesta tristior illa tuba!

* * *

Unde mihi patriis natos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erat.

VAR. LECT. 39 Nan **F** ‖ 41 diducet *Lachmannus* (*post Volsci* deducet *eodem sensu propositum*): me ducet **O**

VII. *Noua elegia cum titulo* de cynthia (cinthiam **F**) *in* **O** ‖ 1 es *Schraderus et Koppiersius*: est **O** ‖ 2 condam **F** | flemus ς: stemus **O** ‖ 3 Quod *scripsi*: Quis **O** Ni **N** ‖ 4 quaeat **D** | inuictos **F** | iupiter **F N** ‖ 5 sed] an **F** *m. 1* ‖ 6 D. gentis — ualet *Huschkius* ‖ 8 more **F N** (*et* **V** *m. 2*): amore **D V** ‖ 9 lumina **F** ‖ 10 undis **F** uelis **D** | perdita **F** *m. 1* ‖ 11 A mala *scripsi*: A mea **F N** Ah mea **D V**; *olim* Carmina *conieci* (*Misc. Crit. p.* 86) | dum **F** *cruce apposita* | sub tibia *scripsi l. l.*: tibia **F** (*mg. m. 2* tibi *add.*) tibi tibia **D V** tibi tybia **N** tibi cynthia ς tibi Lydia *Huschkius*; *alia alii proposuere* ‖ *a u.* 13 *noua in* **O** *elegia* (*cum titulo* ad cynthiam *in* **D V**: *om.* **F N**) ‖ 13 Latiis *Heinsius* Parthis *Ruhnkenius* | natos **F**: gnatos *ceteri* ‖ 14 erat *scripsi* (*cf.* II 34, 56): erit **O**

Quod si uera meae comitarem castra puellae,
  Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
  Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus:
  Hic erit et patrio sanguine pluris amor.

VIII.

Eripitur nobis iam pridem cara puella,
  Et tu me lacrimas fundere, amice, uetas!
Nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae:
  Ipsum me iugula, segnior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
  Nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?
9 Magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
10 Et Thebae steterunt, altaque Troia fuit.
7 Omnia uertuntur. certe uertuntur amores:
8 Vinceris aut uincis, haec in amore rota est.
Munera quanta dedi, uel qualia carmina feci!
  Illa tamen numquam ferrea dixit 'amo'.

*

* *

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
  Improba, qui tulerim teque tuamque domum,

VAR. LECT. 15 Quod] Et **F**, *corr. mg. m. 2* | Quodsi Romanae *Scaliger* Quod mea si tenerae *Heinsius* Quodsi cura meae comitari *Lachmannus* | comitarem (*uel* comitarer) *Itali*: comitarent **O** ‖ 18 hybernos **D**·**V** ibernos **F** | borysten. **N** boristen. **V** (*et* **F** *m. 2*) buresteūidas **F** ‖ 20 patriae **D** patri≡ **V** *m. 1* (patrio *corr. m. 2*); *malim* proprio

VIII. *Noua elegia cum titulo* ad amicum (u *ex corr. in* **D**) *in* **O** | 4 segnior **D V**: leuior **F** lenior **F** *m. 2*, **N**, **V** *mg. m. 2* | ostis **F** *m. 1*; hostia ero *Mitscherlichius* hostis eris *Burmannus* ‖ *uu.* 7, 8 *et* 9, 10 *Scaliger transposuit* ‖ 9 tiramni **F** ‖ 10 steterant **O**, *corr. Scaliger* | ruit *Heinsius* ‖ 12 dicit **F** ‖ 13 Ergo ego *Heinsius et Francius* | tam ς: iam **O** ‖ 14 quin **N** *m. 1*

Ecquandone tibi liber sum uisus? an usque
In nostrum iacies uerba superba caput?

*

* *

Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere, interitu gaudeat illa tuo,
Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigonae tumulo Boeotius Haemon
Corruit ipse suo saucius ense latus,
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non efficies: mecum moriaris oportet:
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamuis ista mihi mors est inhonesta futura:
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.

*

* *

Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.

Var. lect. 15 Ec quando ne **N**: Et (c *m. 2 suprascr.*) quando ue **F** Et quando ne **D V**; *grauius haec corrupta*; *expecto* Et quando cecidi liber sum risus ? adusque *eqs, id est, etiam post mortem nullo impediente ioco et irrisui ero? de* risus *uoce cf.* III 24, 21 | anusque **N** auusque **F** || *uu.* 13—16 *ad priora non pertinere intellexit Lachmannus, qui et inde a u.* 17 *nouam incipere elegiam iure contendit* || 21 antigone **O**: antigones ϛ *uulgo* | boetius hemon **O** (boecius **N** hęmon **V** *m. 2*) || 23 cum] **F** *mg. m. 2* at cura || 24 Quā (*uirgula m. 2 deleta*) **F** | nollet inire *L. Muellerus*; *praeplacet* nolit abire (habere) || 25 non *supra lin.* **N** *m. 1* | efficies **O**: effugies **N** *m. 1 corr.* ϛ; *qua mutatione non opus est recto uersuum ordine restituto* (non efficies, *id est, non mortuo mihi insultabis, non usque uerba in me iacies*) || 26 ferro eodem **N** || 27 stilet **D**, **V** *m. 1* || *post* 28 *lacunae signa posui*; *neque enim Achilli in erepto amore saeuienti quicquam est cum Propertio puellae morte mortem subituro, immo uu.* 29—40 *apta sunt clausula uu.* 1—12, *ut tamen inter* 12 *et* 29 *aliquid intercidisse statuendum sit. iam si uu. medios ita ordinatos* (*nam turbatum ordinem multa clamant*) 17—20, 13—16, 25—28, 21—24 *transposueris ante* IX 49—52, *haec coniuncta iustum, ni fallor, efficient carmen* (*similia iam Carutti statuebat, dissimilia A. Lindner in Fleckeis. ann. a.* 1864 *p.* 838) || 30 in thecis *Guyetus*

Viderat ille fuga stratos in litore Achiuos,
Feruere et Hectorea Dorica castra face,
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum et sparsas caede iacere comas,
Omnia formosam propter Briseida passus:
Tantus in erepto saeuit amore dolor.
At postquam sacra captiua est reddita poena,
Fortem ille Haemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim uel matre uel armis,
Mirum, si de me iure triumphat Amor?

IX.

Iste quod est, ego saepe fui: sed fors et in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salua per annos
Viuere, tam multis femina digna procis:
Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo;
Visura et quamuis numquam speraret Ulixem,
Illum expectando facta remansit anus.
Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
Candida uesana uerberat ora manu,
Et dominum lauit maerens captiua cruentum,

VAR. LECT. 31 fuga stratos *Passeratius*: fugas tractos **O**; *uaria coniecere* (Phrygas ς) ‖ 34 *malim* caede madere ‖ 36 scaeuit **D V** ‖ 37 sacra **D V**: *om.* **F.**, *qui* sera *in mg. m. 2 add.*, sera **V** *mg. m. 2* **N** ‖ 38 Forte **D** | ille *Kootenius ad Hom. Lat. p.* 15: illum **O** idem *L. Muellerus* | hemoniis **F N** emoniis **D V** ‖ 39 matre ς: marte **F N V** in arte **D** | 40 iure] Tulle *coni. Wyttenbachius praue*

IX. *Noua elegia cum titulo* ad amicam de riuali *in* **O** ‖ 1 forsit ς ‖ 2 eiecto **D** (*et* **V** *mg. m. 2*): electo **F N V** ‖ 3 Penolope **F** | sola *Latinus Latinius* casta *Guyetus* ‖ 4 femina] unica *Marklandus* | digna] cincta *Guyetus* ‖ 6 Nocturno] o *ult.*, texta] x *ex corr.* **F** ‖ 7 ulixem **O**: ulixen **N** ‖ 8 Illi *coni. Lachmannus* | facta] sancta *Gruterus* casta *Waardenburgius* ‖ 9 achillē **F N**, *unde* Achillen *nonnulli sine causa* ‖ 11 uirens (*mg. m. 2* merens) **F**

Appositum flauis in Simoenta uadis,
Foedauitque comas, et tanti corpus Achillis
Maximaque in parua sustulit ossa manu,
Quando ibi nec Peleus aderat nec caerula mater,
Scyria nec uiduo Deidamia toro.
Tunc igitur castis gaudebat Graecia nuptis,
Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte uacare,
Impia, non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxisti pocula risu:
Forsitan et de me uerba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Di faciant, isto capta fruare uiro!
Haec mihi uota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae,
Et lectum flentes circum staremus amici?
Dic, ubi tum, pro di, perfidus iste fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos,
Aut mea si staret nauis in Oceano?
Sed uobis facile est uerba et componere fraudes:
Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,

VAR. LECT. 12 Appositum **D V**: Propositum **F N** | flauis *Heinsius*: fluuiis **O**, *quo seruato* uagis *Ungerus Xanthum intellegens*, fuluis ς ‖ 13 et tanti *corruptum uidetur*; ad functi c. Achiui *L. Muellerus male* (*nec enim* functus *pro* mortuus *positum bonae latinitatis est*), *melius* siccans tibi c. Achille *Theod. Birtius* (*symbol. ad hist. hexam. lat.*, *Bonnae 1876 p. 37*); *optimum puto* ut raptum corpus ab igni (et lauti c. A. *Conr. Rossbergius parum apte post u.* 11) | achillis **O**: achilli **N** ‖ 14 substulit **F** ‖ 15 Quando ibi *Itali*: Quom (Quō) tibi **D V** Cum tibi **F N** | peleus **V** *m. 2*, **N**: pelleus **O** ‖ 16 Sciria **F** | toro *Itali*: uiro **O** ‖ 17 castis **D V**: uiris **F N** ueris ς; *conicias* certis | graetia **V** | nuptis *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 86): natis **O** ‖ 21 duxisti **O**: duxistis **N** ‖ 24 Dii **O** | fatiant **N** ‖ 25 Nec **F**; Quae *Kuinoelius* Et *Lachmannus* ‖ 26 capit (u *supra* i) hic **F**, *corr. m. 2* | poterentur **N**: potarentur **F** peterentur **D V** ‖ 28 Dic *G. T. Suringar*: Hic **O** | pro dii **D F** tu . . . . . dii (*ras. 5 litt.*) **V** *m. 1* (tū proh dii *m. 2*) proh dii **N** | perfidus iste *Marklandus*: perfida quisue (-ne **F**) **O** ‖ 30 occeano **D F N** | 33 incertae ς | sirtes **F**

Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
Siue ea causa grauis, siue ea causa leuis.
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela, precor, pueri, promite acuta magis,
Figite certantes, atque hanc mihi soluite uitam:
Sanguis erit uobis maxima palma meus.

*
*   *

Sidera sunt testes et matutina pruina
Et furtim misero ianua aperta mihi:
Te nihil in uita nobis acceptius umquam:
Nunc quoque eris, quamuis sis inimica mihi.
Nec domina ulla meo ponet uestigia lecto:
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille uir in medio fiat amore lapis!

*
*   *

Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces.
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

Test. 9, 41. Seruius ad Verg. Buc. V 21 [ed. Lion II p. 127] 'Propertius: Testes sunt sidera nobis'.

Var. lect. 34 in yberno **F** hyberno **D V** | notho **F N** ‖ 37 quoniam] q̄; **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 38 precor] quidem **F** (*corr. mg. m. 2*), **V** *mg. m. 2* | promite] pincte **F** *m. 1*; promitte **N** ‖ 40—52 *cohaerent in* **O**; *eos neutiquam ad priora pertinere primus uidit Wakkerus* ‖ 41 Sydera **V** | et ịṇ mat. **V** matutīna **D**· ‖ 43 in uita] nimia **F** *m. 1* | nobis est acc. (*mg. uar. lect.* magis) **D** magis est (*mg. m. 2* nobis) acc. **V** ‖ 44 sit **F** *m. 1* sic **N** ‖ *de uu.* 49—52, *quos iam Burmannus post* VIII 28 *poni uoluit, cf. ibi quae adnotauimus* ‖ 50 Tebani **F** ‖ 51 pugnare *num sanum* ?

X.

*

* *

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
  Et campum Aonio iam dare tempus equo.
Iam libet et fortes memorare ad praelia turmas,
  Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant uires, audacia certe
  Laus erit: in magnis et uoluisse sat est.
Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus:
  Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc uolo subducto grauior procedere uultu,
  Iamque aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anima, ex humili; iam, carmina, sumite uires;
  Pierides, magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
  Parthorum et Crassos se tenuisse dolet:
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
  Et domus intactae te tremit Arabiae:
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiat illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar. uates tua castra canendo
  Magnus ero. seruent hunc mihi fata diem!
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
  Ponitur hic imos ante corona pedes,

VAR. LECT. X. *Cohaeret cum prioribus in* F, *interstitium* (*sine titulo*) *in* D N V ‖ 1 Est D (*mg. pro uar. lect.* Sed) | elicona O | coreis F ‖ 2 Aonio *Heinsius*: hemonio F emonio D V (*huius m. 2 et* N hęm.) *ex* II 8, 38; Emathio *L. Muellerus* ‖ 9 succedere F ‖ 10 Iamque ς: Nāque F Nanque D Nunc N V ‖ 11 anime *Heinsius* | exumili. iam F | carmina F: carmine D V *et* N; *alii* ex humili iam carmine; sumite uires, Pierides *coniungunt* | sūmite D F ‖ 13 euphrates N: eufrates O ‖ 14 Ꝑtorum F | metuisse D *pro uar. lect. mg.*, V *in textu* (*hic mg. m. 2* at timuisse) ‖ 15 quin ς: quis O | anguste F augustae N ‖ 16 tremuit F | nemus — Armeniae *coni. Fonteinius* ‖ 17 horis N ‖ 18 pst$\overset{o}{m}$ *ita* F ‖ 21 At *Fonteinius* | ubi et non et tang. F, *corr. m. 2* ‖ 22 hic D V: hac F N

Sic nos nunc, inopes laudis conscendere culmen,
  Pauperibus sacris uilia tura damus.
Nondum etenim Ascraeos norunt mea carmina fontes,
  Sed modo Permessi flumine lauit Amor.

XI.

*

* *

Scribant de te alii, ne sis ignota, licebit,
  Laudet, qui sterili semina ponit humo:
Omnia, crede mihi, tecum uno munera lecto
  Auferet extremi funeris atra dies;
Et tua transibit contemnens ossa uiator,
  Nec dicet 'cinis hic docta puella fuit'.

XII.

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
  Nonne putas miras hunc habuisse manus?

Var. lect. 23 inipes **N** *m. 1* | coscend. **F** | culmen ς *Heinsius*: carmen **O**; *coniecere* currum *Marklandus* contingere culmen *Fonteinius* contendere cursu *Broukhusius* lautis ostendere cultum *Eldikius* lauto contendere cultu *Clercquius aliaque* (*ut ipse olim lusi* lautis contendere cenis); *neque purgatus est locus* ‖ 24 iulia **F** | thura **O** ‖ 25 Nundum **V̇** | etenim *Nodellius et Fonteinius*: etiam **O** (ascreos etiam *ponit* **N**) ‖ 26 permessi, ter *suprascr. m. 2* **N** | *ceterum Heimreichius accersita alius carminis particula sic hanc elegiam reformat*: II 10, 21—26, 1—20 (*deletis* 7 *et* 8), III 9, 47—58; *id quod refutauit Heydenreichius*

XI. *Hoc fragmentum, quod priori elegiae adiungit* **F**, *pro proprio carmine ceteri* (**D V** *cum titulo* ad cynthiam) *habent*, *post* III 24, 36 *ponendum putat Fonteinius* ‖ 1 Scribebant alii dẹ tẹ **F** | ne **F**: uel **D N V** | ignota *ex* ignora *corr.* **N** ‖ 2 Laudet **D V**: Ludet **F N** (*et* **V** *mg. m. 2*) ‖ 3 tecum **O**: secum ς ‖ 6 cuius **F** | hec **N** *m. 2*

XII. *Noua elegia cum titulo* de amore *in* **O** ‖ 1 fuit ille **D** | puerum] primus **F**, *corr. m. 2*

Is primum uidit sine sensu uiuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra uentosas addidit alas,
Fecit et humano corde uolare deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque iacet:
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo uulnere sanus erit.
In me tela manent, manet et puerilis imago:
Sed certe pennas perdidit ille suas,
Euolat a! nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iocundum est siccis habitare medullis?
I, puer, en alio traice tela tua.
Intactos isto satius temptare ueneno:
Non ego, sed tenuis uapulat umbra mea.
Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet
(Haec mea Musa leuis gloria magna tua est),
Qui caput et digitos et lumina nigra puellae
Et canat ut soleant molliter ire pedes?

Var. lect. 3 Is **D V N** (*sic*): Hic **F** | uiuere *om.* **F** *in lac., add. m. 2* ‖ 4 causis *Heinsius* | uenire *uel* parare *Fonteinius* ‖ 6 humana sorte *Heinsius* immani corde *Burmannus* umbrarum more *Fonteinius*; *equidem* humano calce *temptaui* ‖ 7 aeterna *Fonteinius* (*et ita ipse conieceram*) | in unda] ab aura *Fonteinius* ‖ 8 ullis **N**: nullis **O** | ala *Fonteinius*, umbra *ego coniecimus* ‖ 9 hamantis **N** | est] et **F** *m. 1* | sagiptis **F** *m. 1* ‖ 10 faretra **F** | gnossia **V** *m. 2*; cnosia ς | uterque **N** | iacet] sonat ς iacit *Jacobus*; *malim* cadit ‖ 12 quicquam **F**, *corr. mg. m. 2* | erit **D F**: abit **N V**, *et* **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 15 Auolat *Francius* | a *scripsi*: e **O** (é **N** *more multorum scribarum*) heu *Muretus* en *Passeratius* ‖ 17 et, *suprascr.* est, **N** ‖ 18 I, puer, en alio *scripsi*: Si puer est alio **O** (pudor **V** *m. 2 corr.*) | traice, *ita* **O** | tela tua ς: puella tuo **O** (loco **N** *m. rec.*) tela puer **V** *m. 2* bella tua (*uel* loco) ς ‖ 19 potius **D** pocius **V** | temptare **N**, *et ita* **F** *ex* temperare *corr.*: tentare **D V** ‖ 20 uapulet **F** *m. 1* ‖ 24 canit **V** *m. 2*

XIII.

Non tot Achaemeniis armantur Itura sagittis,
  Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles uetuit contemnere Musas,
  Iussit et Ascraeum sic habitare nemus,
Non ut Pieriae quercus mea uerba sequantur,
  Aut possim Ismaria ducere ualle feras,
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia uersu:
  Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
  Nec si qua illustres femina iactat auos:
Me iuuet in gremio doctae legisse puellae,
  Auribus et puris scripta probasse mea.
Haec ubi contigerint, populi confusa ualeto
  Fabula: nam domina iudice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem uerterit aures,
  Possum inimicitias tunc ego ferre Iouis.

*
*   *

Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
  Accipe quae serues funeris acta mei.
Ne mea tunc longa spatietur imagine pompa,
  Nec tuba sit fati uana querella mei,
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
  Nec sit in Attalico mors mea nixa toro;

VAR. LECT. XIII. *Noua elegia cum titulo* de amore *in* O ‖ 1 achimeniis O | armatur N | Itura *Pontanus*: etrusca O Susa *Itali* Bactra *Oudendorpius* Atusa *Ellisius* ‖ 4 et *om.* F *m. 1* ‖ 5 ut] ne D ‖ 6 hismaria D F hysmaria V hismarias N ‖ 8 Inachio] Aonio *Alph. Heckerus comm. de Anth. Graec. p.* 59 ‖ 11 Me] Non V *mg. m. 2* | iuuat ς ‖ 12 puris D: pueris F N V, *et* D *mg. pro uar. lect.* ‖ 13 confugerint F *m. 1* contigerit D, V *m. 1*; Hoc ubi contigerit *Santenius* ‖ 15 Quod F, *et* D *mg. pro uar. lect.* ‖ 16 *et* 17 *cohaerent in* O; *hiatum agnouere Hemsterhusius et Schraderus* ‖ 17 mors] nox *coni. Heinsius* ‖ 19 Ne *Burmannus*: Nec O | spacietur D V | ymag. F ‖ 20 querela O ‖ 22 nixa] iuxta F, *corr. mg. m. 2*

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
Plebei paruae funeris exequiae:
Sat mea sic magnast, si tres sint, pompa, libelli,
Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu uero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa uocare meum,
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi subpositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes paruula testa meos,
Et sit in exiguo laurus super addita busto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo sint uersus: 'qui nunc iacet horrida puluis,
Unius hic quondam seruus Amoris erat.'
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta uiri.
Tu quoque si quando uenies ad fata, memento,
Huc cura ad lapides, cara, uehi memores.
Interea caue sis nos aspernata sepultos:
Non nihil ad uerum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis

Test. 13, 35. Charisius p. 89, 22 K.: 'puluis masculini generis est, quamuis Propertius dixerit: qui — puluis'. cf. et auctor de dub. nom. [gramm. lat. V 588, 5.]

Var. lect. 23 Dixit **F**, *corr. mg. m. 2* | adorif. **D** | ordo] nardus *coni. Fonteinius* | laucibus **F** | at sint *coni. Heinsius* ‖ 24 obsequiae **F N** (*in hoc m. 1 corr.*) ‖ 25 Sat mea sic *scripsi*: Sat mea sit **O** Sat mea sat ς | magnast si *ego*: magna si **O** magna est si ς; *an* magnast, tres si sint *?* ‖ 27 Tum **D V** | nūdum (¯*a m. 2 ?*) **F** ‖ 28 *malim* fies ‖ 29 Oscula que **F** *m. 1 et* (quae) **N** | supprema **D, V** *m. 1* | lab. *ex* libellis *corr.* **N** *m. 1* ‖ 30 sirio **F** | onix **O** (ouix **F** *m. 1*) ‖ 31 ubi *om.* **F** *m. 1* | subp. **N**: supp. **O** ‖ 32 tecta **F** *m. 1* ‖ 34 tetegit **N** *m. 1* | *conieci* funebris umbra ‖ 35 horrida **O** *Charisius*: arida *Itali* ‖ 36 Unus **N** | quondam] ꝯ̄ **F** ‖ 37 Nec **F N**: Non **D V** ‖ 38 fuerant] *expecto* clarent; *alii* florent | phthyi **V** fitii **F** (phitii *mg. m. 2*) pythii **N** | busta] fama **F** *m. 1*, **V** *mg. m. 2* ‖ 40 Huc cura *scripsi*: Hoc iter **O** (H' = Haec **F**) Hoc itere *Scaliger* Huc ferri, ac l. c. subire meos *Heinsius* Ociter *Jacobsius* Hoc ritu *Waardenburgius* | cara *Heinsius*: cana **O** | uehi memores *scripsi*: ueni memores **O** uenire meos *Scaliger* (redire, subire *alii*) ‖ 43 cunis] cauis **F**, *corr. mg. m. 2*; curis (n *supra*) **N** ‖ 44 quamuis **F**, *corr. mg. m. 2*

Iussisset quaeuis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae seruetur spiritus horae?
Nestoris est uisus post tria saecla cinis.
Quoi stamen longae renuisset fata senectae,
Callidus Iliacis miles in aggeribus
Non ille Antilochi uidisset corpus humari,
Diceret unde 'o mors, cur mihi sera uenis?'
Tu tamen amisso non numquam flebis amico:
Fas est praeteritos semper amare uiros.
Testis, quoi niueum quondam percussit Adonem
Venantem Idalio uertice durus aper:
Illic formosum ciuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos reuocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

Var. lect. 45 seruentur (u *suppunx. m. 2*) **F** seruatur *Itali* ‖ 46 uisus **F N**: iussus **D V**; positus *H. Bosscha*; *ego* ustus *uel* tostus *conieci* (*cf. C. I. L.* 1, 1220, 3 tosta fauilla) ‖ 47 Quoi stamen (stam̄) longae *nunc* (*cf. Misc. Crit. p.* 87) *scripsi*: Quis (s *del.* **F** *m. 2*) tam longaeuae **O**; *in protasi*, *ut saepius*, si *supplendum*; Cui si *Liuineius*, *tum aut* longaeuae *aut* tam longae *docti* | renuisset *scripsi*: meminisset **D V** iurauisset **F**, *et* **D** *mg. pro uar. lect.*, minuisset **F** *mg. m. 2*, **N**, **V** *mg. m. 2* ‖ *u.* 48, *ut* miles *uerbi* minuisset *sit subiectum*, *protasi uulgo dant*, *ego apodosi restitui* (Iliaci aggeres = *Graecorum munitiones circa Troiam*: *cf.* I 21, 2 *et Ilias* η 325 *sqq*, 436 *sqq*) | Callidus *Eldikius et Fonteinius*: Gallicus **O** Bellicus *Behotius* Saucius *Marklandus* Troicus *Santenius* Ilius *Lachmannus* Caerulus (= *Memnon*) *Naekius Choeril. p.* 185 ‖ 49 ille **O**: *om.* **N** | anthilochi **D V** | humari, *ita* **O** ‖ 50 unde *scripsi*: aut **O** ‖ 53 cui *Huschkius* (quoi *ego*): qui **O** | niueum] iuuenem **D** *mg. pro uar. lect.* | adonem **O**: adonin ς ‖ 54 Venamtem **N** ‖ 55 Illic ς: Illis **O** | ciuisse *scripsi l. l.*: iacuisse **O** lauisse ς *Scaliger* fleuisse ς planxisse *Eldikius* clamasse *et* uocitasse *alii* | plaudibus **F** ‖ 56 uenis **D** | esse **F** ‖ 58 Nec *Fonteinius* | qui **N** | poterit **F**, *corr. mg. m. 2*

XIV.

Non ita Dardanio gauisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnae Laumedontis opes,
Nec sic errore exacto laetatus Ulixes,
Cum tetigit carae litora Dulichiae,
Nec sic Electra, saluum cum aspexit Orestem,
Cuius falsa tenens fleuerat ossa sinu,
Nec sic incolumem Minois Thesea uidit,
Daedalium lino cum duce rexit iter,
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte:
Inmortalis ero, si altera talis erit.
At cum demissis supplex ceruicibus ibam,
Dicebar sicco uilior esse lacu.
Nec mihi iam fastus opponere quaerit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
Condicio! cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis:
Scilicet insano nemo in amore uidet.
Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes:
Sic hodie ueniet, si qua negauit heri.
Pulsabant alii frustra dominamque uocabant:
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi deuictis potior uictoria Parthis,

Test. 14, 1. Charisius p. 67, 11 K.: 'nam masculina modo 'es' modo 'a' nominatiuo casu ueteres terminauerunt uelut .... Atrides, Atrida, ut Propertius: Non — triumpho'.

Var. lect. XIV. *Noua elegia cum titulo* de receptione in nocte *in* O ‖ 1 est O: *om. Charisius* ‖ *totum u.* 2 *om.* F, *add. mg. m. 2* | laumed. O: laomed. V *m. 2*, N ‖ 3 letatus exacto F, *corr. signis appositis m. 2* ‖ 5 eletra F; Electre *Itali* | saluum cum F N: suum saluum D V (*eidem* Nec *et* asp.) | horestem O (-tē V): oresten N ‖ 6 sinu *Heinsius*: soror O *e glossa* ‖ 7 Non sic incolumen D V; *fortasse* incolumem ut Minois ‖ 10 Imm. D V ‖ 11 Aut N *m. 1* | cum D F: dum V N (F *m. 2*) | 13, 14 *ante* 11 *transponi uult Fonteinius* ‖ 15 mihi nota] *malim* mutata; nata *Heinsius* ‖ 16 Conditio F Condito N ‖ 17 semitta F ‖ 23 partis F

Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taleque sub nostro nomine carmen erit:
'Has pono ante tuas tibi, diua, Propertius aras
Exuuias, tota nocte receptus amans.'
Nunc ad te, mea lux, ueniet, mea litore nauis
Seruata an mediis sidat onusta uadis.
Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

XV.

O me felicem! o nox mihi candida! et o tu
Lectule deliciis facte beate meis!
Quam multa adposita narramus uerba lucerna,
Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo, et dixit 'siccine, lente, iaces?'
Quam uario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!

VAR. LECT. 25 citharea **F** ‖ 26 carmen, en *ex corr.*, **F** ‖ 27 tuas — aras *scripsi*: tuas — aedes **O** tuam — aedem *Scaliger* ‖ 28 nocte] uate **F**, *ut uid.* ‖ 29—32 *partem carminis deperditi censet Guil. Fischerus* | 29 ueniet **O**: ueniat *uel* uenit ς; Nunc in te, m. l., ueniat sua litora n. *Doruillius praeeunte Heinsio*, ueniet mea litore n. Seruata? an m. sidet o. uadis? *Marklandus* Nunc da te, m. lux. uenit m. l. n. Seruata: an — uadis? *Lachmannus* | mea] mihi *J. H. Vossius* | litora **F** *m. 1* | 30 an **F N**: in **D V** | si dat **F** | honusta **O** ‖ 31 Que si **F**

XV. *Noua elegia cum titulo* intimatio animi *in* **O** ‖ 1 O **F N** (*et* **V** *mg. m. 2*): Ah **D** a H **V** | nox o mihi ς | et *om.* **F** ‖ 2 delictiis **F** | 3 adpos. **N**: appos. **O** ‖ 5 niclatis (*mg. m. 1* at nudatis) **F** | lustata **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 7 lapsos ς: lassos **O** ‖ 8 lente **D V**: lecte **F N** (*et* **V** *mg. m. 2*) ‖ 9 bracchia **D F** brachia *altera* c *a m. 1* (?) *suprascr.* **V** ‖ 10 labiis **F**

Non iuuat in caeco Venerem corrumpere motu:
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
Cum Menelaeo surgeret e thalamo:
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
Dicitur et nudae concubuisse deae.
Quod si pertendens animo uestita cubaris,
Scissa ueste meas experiere manus:
Quin etiam, si me ulterius prouexerit ira,
Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
Viderit hoc, si quam iam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
Nox tibi longa uenit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos uincire catena
Vellet, uti numquam solueret ulla dies!
Exemplo iunctae tibi sint in amore columbae,
Masculus et totum femina coniugium.
Errat, qui finem uesani quaerit amoris:
Verus amor nullum nouit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus et sicco gurgite piscis erit,
Quam possim nostros alio transferre calores:
Huius ero uiuus, mortuus huius ero.

VAR. LECT. 13 perisse **F** *m. 1* ‖ 14 menelao **F N** ‖ 15 eudim. **F** endim. **N** ‖ 16 nudae *suspectum*; nitidae *A. Palmer*, *malim* cupidae ‖ 17—22 *non huius loci esse sunt uisi Fonteinio* ‖ 17 cubaris *Muretus*: cubares **O** ‖ 18 Sissa **D** | esper. **F** ‖ 19 Quin etiam] Q'uis **F**, *corr. mg. m. 2* | s̤i̤ m̤e̤ si me **V** ‖ 20 bracchia **D F V** ‖ 21 prohibente l. **F** *m. 1* ‖ 22 hoc **D V**: h(a)ec **F N** ‖ 23 saciemus **O** ‖ 25 haerentes Venus o uincire *Eldikius* sic, Nox, uincire *Guil. Fischerus* Cythere *pro* catena *Guyetus* ‖ 26 Vellet uti *scripsi*: Vellet ut **F** Velles ut **D V N** (**F** *m. 2*) Vellent (*scil.* fata) ut *Burmannus praue* | ulla dies] Idalie *Lachmannus* ‖ 27 uinctae **N** | sint **V** *m. 2 corr.*, **N**: sunt **O** ‖ 29 Erat **N** *m. 1* ‖ 31 amantes **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 32 cicius **V** ‖ 35 possit **N** | calores *Beroaldus*: dolores **O** ‖ 36 uiuus] minis **F**, *corr. mg. m. 2*

Quod mihi si tales iterum concedere noctes
  Illa uelit, uitae longus et annus erit:
Si dabit haec multas, fiam inmortalis in illis:
  Nocte una quiuis uel deus esse potest.
Qualem si cuncti cuperent decurrere uitam
  Nec pressi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele esset neque bellica nauis,
  Nec nostra Actiacum uerteret ossa mare,
Nec totiens propriis circum expugnata triumphis
  Lassa foret crines soluere Roma suos.
Nos certe merito poterunt laudare minores:
  Laeserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum licet, o fructum ne desere uitae:
  Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac ueluti folia arentis liquere corollas,
  Quae passim calathis strata natare uides,
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

XVI.

Praetor ab Illyricis uenit modo, Cynthia, terris,
  Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.

Var. lect. 37 si tales iterum *scripsi Misc. Crit. p.* 88: si tecum tales **O** secum ς ‖ 38 in te (*mg. m. 2* uite) **F** | ut annus eat *Heinsius*; *locus est subobscurus* (*num* usus *pro* annus *?*) ‖ 39 immort. **D V** ‖ 41 cuperent] uellem (*sic*) **F**, *corr. mg. m. 2*; uellent **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 42 Nec *scripsi l. l.* (*et ita etiam Fonteinius*): Et **O** ‖ 43 esset neque **D V**: neque esset **F N** ‖ 44 acciacum **D V** (*huius mg. m. 2* atthiacum) uerreret *Scaliger* ‖ 45 tociens **V** | expugnata *scripsi l. l.*: oppugnata **O** (opugn. **N**) ‖ 47 Nos *scripsi l. l.*: Nec **O** Hęc **F** *m. 2* Hec **N** *m. 2*, Me **V** *mg. m. 2* ‖ 48 pocula] proelia *uel* oscula *Fonteinius* ‖ 49 licet **D V**: licet **F** lucet **N** liceat ς | o *add. L. Muellerus*: *om.* **O** hunc *add. Itali* ‖ 51 Ac **N**: At **O** | arentis **D V**: arentes **F N** ‖ 52 calatis **D V** ‖ 53 Sic magnum nobis nunc qui **N** | spiramus *Scaliger*: speramus **O** (spamus **F N**)

XVI. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam de (a)emulo *in* **O** ‖ 1 Prector **F** | illir. **F N**

Non potuit saxo uitam posuisse Cerauno?
  A Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt conuiuia mensa,
  Nunc sine me tota ianua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes,
  Et stolidum pleno uellere carpe pecus:
Deinde, ubi consumpto restabit munere pauper,
  Dic alias iterum nauiget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores:
  Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus, o succurre dolori,
  Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quiuis mercatur amorem?
  Iuppiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
  Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romae nemo esset diues, et ipse
  Straminea posset dux habitare casa:
Numquam uenales essent ad munus amicae,
  Atque una fieret cana puella domo!
Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
  Candida tam foedo brachia fusa uiro,
Non quia peccaris (testor te), sed quia uulgo
  Formosis leuitas semper amica fuit.
Barbarus exclusis agitat uestigia nobis,
  Et subito felix nunc mea regna tenet.
Aspice quid donis Eriphyla inuenit amaris,

Var. lect. 4 Ha **F** Ah **D V N** ‖ 9 ubi] cui **F** *m. 1* ‖ 10 illir. **F N** ‖ 11 *et* 12 *post* 16 *ponit Fonteinius, quod placet* ‖ 12 illa **D V**: una **F N** ‖ 13 o *in* **V** *m. 2 add.* | sucurre **N** ‖ 15 amicam **F**, *et* **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 16 Iupiter **F N** | indignum ς *Palmerius* ‖ 17 occeanum **O** ‖ 18 ipsa ς: ipso **O** ‖ 21 adminus (*mg. m. 2* munus) **F** ‖ 22 domo] uiro **F** ‖ 23 Numquam septenas — cubares (*hoc Itali*) *A. Palmer* | seuincta **N** semucta cubabis **F**, *corr. m. 2* ‖ 24 fero (d *supra* r *m. 2*) **F** fedo **N** | bracchia **D V** (*non* **F**) ‖ 25 peccaris ς *Beroaldus*: peccarim **O** | s& **V** ‖ 27 exclusis **O**: exclusit **N** excussis ς | fastidia *Heinsius* | nobis *Ayrmannus*: lumbis **O** ‖ 29 eriphila **F N** eriphyll(a)e **D V**, eriphyle ς | inuenit auaris *Liuineius* flerit amatis *Heinsius* inuenerit aureis *H. Bosscha*

Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros iniuria fletus?
An dolor hic uitiis nescit abesse tuis?
Tot iam abiere dies, cum me nec cura theatri
Nec tetigit Campi, nec mea Musa iuuat.
A pudeat certe, pudeat! nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu compleuit inani
Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor uersis dare terga carinis
Iussit et extremo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec uirtus et gloria Caesaris haec est:
Illa, qua uicit, condidit arma manu.
Sed quascumque tibi uestes, quoscumque smaragdos
Quosue dedit flauo lumine chrysolithos,
Haec uideam rapidas in uanum ferre procellas,
Quae tibi terra, uelim, quae tibi fiat aqua.
Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter et surda neglegit aure preces.
Vidistis toto sonitus percurrere caelo,
Fulminaque aetherea desiluisse domo.
Non haec Pleiades faciunt neque aquosus Orion,
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit:
Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam fleuit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia uestis,
Ut timeas, quotiens nubilus Auster erit.

Var. lect. 30 cinusa **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 31 se dabit **F N** ‖ 32 Ah *Lachmannus* | abire **V** *mg. m. 2* | tuis ς: suis **O**; *malim* nouis ‖ 33 teatri **F** ‖ 34 campi **N** *m. 1 supra lin.* | musa ς: mensa **O** ‖ 35 Ah **D V**: At **F N** | aiunt] ament **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 39 Nunc **V** | infans **D**; insanus ς; *an* infandus*?* ‖ 41, 42 *alieno loco positos putat Fonteinius, qui u.* 43 Sic *pro* Sed *coniecit* ‖ 41 cesaris gloria **F**, *corr. m. 2 sign. appos.* ‖ 44 flauos **D F** (*in hoc* s *m. 2 suppuncta*) flauo≡ **V** | chrisolithos **N** crisolitos **F** chrysolitos **D V** ‖ 46 Qua — qua *Scaliger* Qui — qui *Guyetus* | fiat **D V**: fiet **F N** (**V** *m. 2*) ‖ 48 Iupiter **F N** | negligit **O** (neglit **F** *m. 1*) ‖ 49 Vidistin ς | moto *Heinsius* ‖ 50 (a)etherea, *sic* **O** ‖ 51 fatiunt **N** ‖ 52 fluminis **V** *mg. m. 2*; numinis ira calet *L. Muellerus* ‖ 53 ille] esse **F**, *corr. mg. m. 2*; ipse **V** *mg. m. 2* ‖ 56 hauster **D V**

XVII.

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
    Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum uates, quotiens desertus amaras
    Expleui noctes, fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moueare ad flumina sorte,
    Ut liquor arenti fallat ab ore sitim,
Vel tu Sisyphios licet a! miserere labores,
    Difficile ut toto monte uolutet onus:
Durius in terris nihil est quod uiuat amante,
    Nec, modo si sapias, quod minus esse uelis.
Quem modo felicem inuidia admirante ferebant,
    Nunc decimo admittor uix ego quoque die.
Nunc iacere e duro corpus iubet impia saxo,
    Sumere et in nostras trita uenena manus;
Nec licet in triuiis sicca requiescere luna,
    Aut per rimosas mittere uerba fores.
Quod quamuis ita sit, dominam mutare cauebo:
    Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

VAR. LECT. XVII. *Noua elegia cum titulo* de exclusione *in* O || 1 Mentiris D Mentiri≡ V | fallere D (*idem* ducere *mg. pro uar. lect.*), V *mg. m. 2* || 2 erat ς || 4 *malim* Expleuit, *ut* Horum *quo recte pertineat habeat* | stratus *coni. Keilius* | thoro F N || 5 Tantalea, *ita* O || 6 Ut F N: Vel D V | sithim F || 7 sisiphios F sisiphyos N | a! miserere *conieci Misc. Crit. p.* 90: admirere O || 9 uiat F (*mg. m. 2* at iuuat) || 11 admirante inuidia F, *corr. m. 2 sign. appos.* || 12 admitor D admiror (r *prior ex corr.*) V (*mg. m. 2* admittor) || *uu.* 13, 14 *et* 15, 16 *transponit Lachmannus* || 13 iubet *Lachmannus*: iuuat O iuuat, impia, saxo *uulgo* iuuat in freta *Auratus* || 14 Sūmere F Summere D | trita O: tetra ς || 15 Nunc licet *Beroaldus* Nunc libet *Guyetus* || 16 imosas N

XVIII.

Assiduae multis odium peperere querellae:
Frangitur in tacito femina saepe uiro.
Si quid uidisti, semper uidisse negato:
Aut si quid doluit forte, dolere nega.
5 Quid si iam canis aetas mea curreret annis,
Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
8 Desertum Eoa passa iacere domo est.
11 Illum ad uicinos cum amplexa quiesceret Indos,
12 Maturos iterum est questa redire dies.
9 Illum saepe suis decedens fouit in ulnis,
10 Quam prius adiunctos sedula lauit equos.
13 Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
Inuitum et terris praestitit officium;
15 Quoi maiora senis Tithoni gaudia uiui
Quam grauis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam
Et canae totiens oscula ferre comae:
At tu etiam iuuenem odisti me, perfida, cum sis
20 Ipsa anus haut longa curua futura die.

Var. lect. XVIII. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam *in* **O** ‖ 1 Assidue ę (*prior* e *ex corr.*) **F** | querel(a)e **O** (quaer. **D**) ‖ 5 Quid si iam **O**: Quid mea si **N** *in toto loco interpolatus* | aetas mea curreret *Bentleius ad Hor. od.* II 5, 13: aetas mea caneret **O** aetas canesceret **N** caneat **V** *mg. m. 2* candeat ς aetas candesceret *Heinsius. Bentlei emendationem qui praepropere reiecere, liberiorem ablatiui usum Propertianum non respexere* ‖ 6 faceret **O**: faciat ς ‖ 7 At **V** *mg. m. 2*: An **O** | titoni **F** tythoni **N** ‖ *uu., qui sunt in* **O** 9, 10 *et* 11, 12, *transposuit Hertzbergius*; *quod confirmari uidetur imitatione elegiae in Maecenatem* I 123 *sqq.* ‖ 11 Illum **F N** (**V** *m. 2*): Illa **D V** ‖ 12 iterum] *fortasse* nimium ‖ 9 ulnis ς *Beroaldus*: undis **O** (*nisi quod* budis **F**, *idem mg. m. 2* al. undis) ‖ 10 adiunctos *om.* **F** *m. 1*, aduinctos **N**; abiunctos *Scaliger* ‖ 13 conscandens **F** *m. 1* | inequos, i *supra* e *scripta* **N** ‖ 15 Quoi **V** *mg. m. 2*: Quae **D V** Cui **F N** | tythoni **F N** ‖ 16 mennone **O**; *corr.* **V** *m. 2*, **N** ‖ 20 haud **F** *m. 2*: aut **O** | curua longa **V**, *corr. m. 2 sign. appos.*

Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
Nunc malus esse solet, quoi bonus ante fuit.

XVIII^{b}.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis et externo tincta nitore caput?
25 Ut natura dedit, sic omnis recta figura est:
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
28 Quae mentita suas uertit inepta comas!
31 An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
32 Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?
29 Desine: mi per te poteris formosa uideri,
30 Mi formosa sat es, si modo saepe uenis.
33 Cum tibi nec frater nec sit tibi filius ullus,
Frater ego et tibi sim filius unus ego.
35 Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere uelis.
Credam ego narranti (noli committere) famae:
Et terras rumor transilit et maria.

Var. lect. 21 deminuo **N**: diminuo **O** ‖ 22 Nunc **O**: Huic **F** *m. 2*, **V** *m. 2*, **N** | cui **F N** (**V** *m. 2*) qui **D V**, *unde* quoi *ego*

XVIII^{b}. *Cohaeret in* **O** *prioribus*, *diuisit Kuinoelius* ‖ 23 mutare **F** | brithannos **F**; Batauos *Guyetus* Sicambros *Burmannus* ‖ 24 Laedis *A. Krafferttus Phil.* XXII 343 | externo **O**: hesterno **V** *mg. m. 2* ‖ 25 tecta **V** *m. 2* | est *om.* **F** *m. 1* ‖ 27 multa *om.* **F**, *add. mg. m. 2* ‖ *uu.*, *qui sunt in* **O** 29, 30 *et* 31, 32, *traieci*, *Lachmanno praeeunte qui* 29, 30 *ante* 27 *posuerat* ‖ 31 At **V** *mg. m. 2* | fuco **F N** (**V** *mg. m. 2*): succo **D V** ‖ 29 Desine *scripsi Misc. Crit. p.* 90: De me **O** | mi **D V**: $\overset{i}{\text{m}}$ **F** michi **N** | per te *Hoeufftius* (*iterumque H. Bosscha Lachmannusque*): certe **O** ‖ 30 sat es *Heinsius*: satis **O** ‖ 35 Iste **V** *mg. m. 2* ‖ 36 nimis] nynus (y *ex corr.*) **F**, *corr. m. 2* ‖ 37 Credo **V** *m. 1* | comitt. **D** ‖ 38 terras *Guyetus*: terram **O** | transuolat *Francius*

XIX.

Etsi me inuito decedis, Cynthia, Roma,
Laetor quod sine me deuia rura coles.
Nullus erit castis iuuenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatae somnus amarus erit.
Sola eris et solos spectabis, Cynthia, montes
Et pecus et fines pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi
Fanaque peccatis plurima causa tuis.
Illic assidue tauros spectabis arantes
Et uitem docta ponere falce comas,
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
Haedus ubi agrestis corruet ante focos,
Protinus et nuda choreas imitabere sura,
Omnia ab externo sint modo tuta uiro.
Ipse ego uenabor. iam nunc me sacra Dianae
Suscipere et Veneri ponere uota iuuat.
Incipiam captare feras et reddere pinu
Cornua et audaces ipse mouere canes;
Non tamen ut uastos ausim temptare leones
Aut celer agrestes comminus ire sues:
Haec igitur mihi sit lepores audacia molles

Var. lect. XIX. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam *in* **O** ‖ 1 Et si me **F N**: Et sine me **D V** | decedis *scripsi:* discedis **O** ‖ 2 coles ς: colis **O** ‖ 5 sinet esse meam **D V**, *sed uterque mg. pro uar. lect.* probam | 7 expectabis **N** ‖ 9 nulli] nudi **F**, *corr. m. 2* ‖ 10 Phanaque **D V** | pec̄is **F** ‖ 13 thura **O** (rara **N** tu *suprascr.*) ‖ 14 ubi **F N**: ibi **D V** | agrestes **F** ‖ 15 coreas mutabere **F** ‖ 17 Veneri] Fauno *coni. Jacobsius* nemori *Waardenburgius*; *neque ego* Veneri *sanum esse persuadere mihi possum*; *fort.* lucri (*cf. ex. gr. Gratii Cyneg.* 232) ‖ 19 captare feras *neque cum sequentibus uidetur conuenire neque in initio apparatus uenatici locum habere*; *fortasse* Incipiamque aptare feros (= equos) | pinu **V N**: pīnu **D** pumi **F** nectere pinnis *Burmannus*; *latet altius ulcus*: cornua *arcum interpretor* ‖ 20 mouere **O**: monere **N** ‖ 21 aut uastos *Ayrmannus* inpastos *Heinsius* | tentare **D V** temerare ς ‖ 22 comminus **D V**: cominus **F N** ‖ 23 igitur *languidissimum est*; *puto* iaculo

Excipere et stricto figere auem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit et niueos abluit unda boues.
Tu quotiens aliquid conabere, uita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.
Hic me nec solae poterunt auertere siluae
Nec uaga muscosis flumina fusa iugis,
Quin ego ibi assidua mittam tua nomina lingua,
Absenti nemo dum nocuisse uelit.

XX.

Quid fles abducta grauius Briseide? quid fles
Anxia captiua tristius Andromacha?
Quidue mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna uolucris funesta querella
Attica Cecropiis obstrepit in foliis,
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimans defluit a Sipylo.
Mi licet aeratis astringant brachia nodis,
Sint mea uel Danaes condita membra domo:
In te ego et aeratas rumpam, mea uita, catenas,

VAR. LECT. *inter* 24 *et* 25 *aliquot uersiculos intercidisse statuo* || 25 clituntus **N** | boco **F**, *corr. mg. m. 2* || 26 albuit **F** | boues **F N** (**V** *mg. m. 2*): pedes **D V** || 28 Venturum] Vehuntur **F**, *corr. mg. m. 2* || 29 Hic (= Tum) *Passeratius*: Sic **O** | me *om.* **F** *m. 1* | aduertere **F** || 30 Nec **F N**: Haec **D V** | fuscosis **F** *m. 1* || 31 ibi *scripsi*: in **O** | mittam *scripsi*: mutem **O** mussem *Palmerius* motem *Hertzbergius* || 32 dum *scripsi*: non **O** ne ς

XX. *Noua elegia in* **N** *et cum titulo* ad cynthiam *in* **D V**, *cohaeret priori in* **F** || 1 Quod **F** | grauis **N** *m. 1* || 2 andromaca **F** || 5 quercla **O** || 6 cicropiis **F** || 7 tautum **N** | superba *Itali*: superbe **O** (niobae — superbae ς) superne *Lachmannus* || 8 lacrimans **O**: lacrimas **N** lacrimae *Heinsius* | depluit *Scaliger* | asiphilo **F** asyphilo **N** asipilo **D** a sypilo **V** || 9 Mi ς: Me **O** | erratis **F** | astringat bracchia **D V** || 10 uel **N V** (**F** *m. 2 et* **D** *mg. pro uar. lect.*): nec **D F** | danes **N V** (*et* **F** *m. 2*) damnes **D** demes **F** | domo] **D** *mg. m. 1 et* **V** *mg. m.* 2 at modo || 11 ego et (a)eratas **F N**: ego ferratas **D V**

Ferratam Danaes trasiliamque domum.
De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modo ne dubita de probitate mea.
Ossa tibi iuro per matris et ossa paterna
(Si fallo, cinis heu sit mihi uterque grauis!)
Me tibi ad extremas mansurum, uita, tenebras:
Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen nec me tua forma teneret,
Posset seruitium mite tenere tuum.
[Septima iam plenae deducitur orbita lunae,
Cum de me et de te compita nulla tacent:
Interea nobis non umquam ianua mollis,
Non umquam lecti copia facta tui.]
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis:
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti:
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tum me uel tragicae uexetis Erinyes, et me
Inferno damnes, Aeace, iudicio,
Atque inter Tityi uolucres mea poena uagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis uenerata tabellis:
Ultima talis erit quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto nec temere incipio.

VAR. LECT. 12 Ferrata **F** | transiliamque **V** *mg. m. 2*: stas iliamque **D F** stasiliamque **N V** (*ex* $\overset{r}{\text{t}}$asil.) ‖ 14 probitate *Burmannus*: grauitate **O** ‖ 15 paterna *Hoeufftius*: parentis **O** ‖ 16 falso **N** *m. 1* | heu *suppunxit* **F** *m. 2* ‖ 19 Quid **D V** ‖ 20 Possem **D V** (*in hoc corr. m. 2*) | mitte **F** ‖ 21—24 *hinc alienissimos inclusi non ut interpolatos, sed ut falso loco extantes: fortasse ante* 21, 1 *ponendi*; *ceterum 23, 24 delebat Keilius* ‖ 23 non nūquam **F** (**V** *m. 2*) ‖ 24 non nūquam **F** (nunquam **V** *m. 2*) ‖ 25 epta **N** ‖ 27 te me tam **F** ‖ 28 Possim *Guyetus* | egon a! curae *Heinsius* fortunae *Burmannus senior* ‖ 29 eriniens (*altera* n *suppuncta*) **F** erinies **N** herynides **D** erynides **V** ‖ 30 eache (h *suppunx. m. 2*) **V** ‖ 31 ticii **O** tycii **N** | poena *om.* **F**, *add. mg. m. 2* ‖ 32 sysipheo **F N** (*sed in* **F** *prior* s *a m. 2 add.*) ‖ 33 simplicibus **F** *m. 1* | uenerata *nimium et paene ridiculum*; *fortasse* uenata *coll. Ouid. a. a.* I 89 ‖ 35 ius est *deprauatum uidetur*; *num* laudes (= laudabis) *?*

XXI.

A, quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus!
Sed tibi iam uideor Dodona uerior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere. nihil pudet? aspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es: te ille superbus
Dicit se inuito saepe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud quam gloria de te
Quaeritur: has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Electa est tenuis namque Creusa toro.
Sic a Dulichio iuuene est elusa Calypso:
Vidit amatorem pandere uela suum.
A, nimium faciles aurem praebere puellae,
Discite desertae non temere esse bonae.
Huic quoque quid restat? iam pridem quaeritur alter.
Experta in primo, stulta, cauere potes.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Siue aegra pariter siue ualente sumus.

Var. lect. XXI. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam de pantho *in* O ‖ 1 A F: Ah *ceteri* At *Heinsius* | panti *et u.* 2 panto F (h *m. 2 suprascr.*) ‖ 4 pulcer F ‖ 5 pudet *om.* F, *add. mg. m. 2* ‖ 6 nimium tu F *m. 1* | sola] D *mg. m. 1 et* V *mg. m. 2* at turba ‖ 7 te *om.* F ‖ 8 Dicet D V ‖ 10 martitus N ‖ 11 Cholch. F | condam F quando N (*mg. m. 1* quondam) ‖ 12 Electa est *Broukhusius*: Eiecta est O Eiectae *Ruhnkenius* | tenuis O: tenuit ς | iam *supra* nam *scripsit m. 2* F | toro *scripsi Misc. Crit. p.* 91: domo O domum ς locum *Ruhnkenius* ‖ 13 iuene F *m. 1* | delusa D V (*in hoc* d *del. m. 2*); iuuenem delusa *Lachmannus* ‖ 14 Prodit F, *corr. mg. m. 2* | nam dare *Huschkius* ‖ 15 Ha F Ah *ceteri* ‖ 17 Huic D N V: Hinc F Nunc *uel* Hic ς | quid restat *Burmannus*: qui restat O (praestat *et* restet ς) si V *mg. m. 2* qui perstet *H. Bosscha* | *malim* iam fidus ‖ 18 stulta] tuta ς uita *Heinsius* | potest *Itali*

XXII.

Scis here mi multas pariter placuisse puellas:
  Scis mihi, Demophoon, multa uenire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
  O nimis exitio nata theatra meo,
Siue aliquis molli diducit candida gestu
  Brachia seu uarios incinit ore modos!
Interea nostri quaerunt sibi uulnus ocelli,
  Candida non tecto pectore si qua sedet,
Siue uagi crines puris in frontibus errant,
  Indica quos medio uertice gemma tenet.
Quae si forte aliquid uultu mihi dura negarat,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes.
  Quod quaeris 'quare?' non habet ullus amor.
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris
  Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?
Unicuique dedit uitium natura creato:
  Mi fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,
  Numquam ad formosas, inuide, caecus ero.
Sed tibi si exiles uideor tenuatus in artus,

Var. lect. XXII. *Noua elegia cum titulo* ad heremum (-ium **D**) demophontem (-phoontem **D**, **V** *m. 2*) *in* **O** ‖ 1 heremi **O** ‖ 2 mi hinc *Lachmannus* ‖ 3 meis] mihi **F** ‖ 5 diducit *Passeratius*: deducit **O** ‖ 6 Bracchia **D F V** | incinit **N**: inicit **D V** uicūt *uel* incūt **F** (*mg. m. 2* c'. concinit t incipit) ‖ 7 nostri] qm̃ = quoniam **F** *m. 1*, *et* **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ *inter* 10 *et* 11 *aliquid intercidisse putat Fonteinius*, *recte ut puto* ‖ negaret **F** *m. 1*; negarit *Itali* ‖ 12 de *om.* **F** *m. 1* ‖ 13 demophon **F** ‖ 14 *Lachmanni interpunctionem secutus sum*; curae *pro* quare *coni. Huschkius* (quare nos habet *uel* non cauet *Burmannus* Quin quaeris *Ayrmannus*) ‖ 15 bracchia **D V** | cultis **V** *m. 1* ‖ 16 frigis **F** | quaeritur **D F** (*sed uterque*, *hic m. 2*, *ille m. 1 mg.*, caeditur) | uūos, *suprascr.* numeros, **F** ‖ 17 Unum cuique *Waardenburgius* | fortuna **V** *mg. m. 2* ‖ 18 aliud *Burmannus* aliquam *Heimreichius*; *at cf. ad* I 13, 36 ‖ 19 thamire **O** (-yre **D**) | sequentur **D V** (*in hoc corr. m. 2*)

Falleris: haut umquam est culta labore Venus.
Percontere licet: saepe est experta puella
Officium tota nocte ualere meum.
Iuppiter Alcmenae geminas requieuerat Arctos,
Et caelum noctu bis sine rege fuit:
Nec tamen idcirco languens ad fulmina uenit.
Nullus amor uires eripit ipse suas.
Quid? cum e complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenaeae non timuere rates?
Illi uel classes poterant uel perdere muros:
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice uti caelo modo sol modo luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foueatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum
Aut, si forte irata deo sit facta sinistro,
Ut sciat esse aliam, quae uelit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula nauim,
Tutius et geminos anxia mater alit.

*

* *

Aut, si es dura, nega: sin es non dura, uenito.

Var. lect. 22 haut **N**: hoc **F** haud **D V** (**F** *m. 2*) | unquam **F** *m. 2* **N V**: nūquam **F** nunquam **D** | culta] fessa ς rupta *Ruhnkenius* || 23 Percontere **D V**: Percuntare **F** Percunctere **N** (Percuntere **V** *m. 2*) || 24 Hospitium **F**, *corr. mg. m. 2* || 25 Iupiter **F N** | almene (c *m. 2 suprascr.*) **F** alchmenę **V** alcmene **D N** | artos **F** || 29 e *om.* **F** | achillem **F** *m. 1* || 30 Num **F**: Non **D V N** | minus *ex* minis *corr.* **F** | friges **F N** || 31 andromace **F** -che **D** | e lecto *Hertzbergius* | consurgeret **N** || 32 micene(a)e **F N** || 33 Illi (Illei ?) uel classes *scripsi*: Ille uel hic classes (calces **F**, *corr. mg. m. 2*) **O** | poterant **N**: poterat **O** || 38 Altera, si quando haec *Heinsius* | sinit **F N**: sinat **D V** || 39 deo — sinistro (*scil. Amore*: *cf.* I 4, 26) *scripsi*: meo — ministro **O** mero — ministro *Jacobus* || 40 aliquam ς; *conicias* illam || 41 nauem **F** || 42 gemmos **F**, *corr. mg. m. 2* || 43 *sqq.*, *quos prioribus adiungit* **O**, *segregandos esse iam Itali perspexere*; *intercidere haud pauca*

Quid iuuat at nullo ponere uerba loco?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua uenire negat.
Quanta illum toto uersant suspiria lecto!
Cur recipi, quasi non uouerit, illa uetat?
Et rursus puerum quaerendo audita fatigat,
Quem, quae scire timet, quaerere plura iubet.

XXIII.

Quoi fuit indocti fugienda haec semita uulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera seruo,
Ut promissa suae uerba ferat dominae,
Et quaerit totiens 'quaenam nunc porticus illam
Integit?' et 'campo quo mouet illa pedes?',
Deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
Herculis, ut scribat 'muneris ecquid habes?',
Cernere uti possis uultum custodis amari,
Captus et inmunda saepe latere casa?
Quam care semel in toto nox uenditur anno!

Var. lect. 44 Quod **F** | at *ego*: et **O** in ς a! *L. Muellerus* in nullo pondere uerba loqui *Beroaldus* ‖ 47 illi tanto **F**; *corr. m. 2* ‖ 48 Cur **O**: Cum **V** *mg. m. 2* | quasi *Marklandus*: quae **O** quem ς | uouerit *scripsi*: nouerit **O** | illa **D V**: ille **F N** | uetat **O**: putat ς ‖ 49 rursū **F** 50 *om.* **N** | Quem quae **F** (*et* **V** *m. 2*): Quae quoque **D V** | quaerere *e u. priore praue repetitum*; dicere *Beroaldus*; *praeplacet* promere | plura **D V** (*et* **F** *m. 2*): fata **F**, *unde* facta *conicias* | iuuat **F** *m. 2*

XXIII. *Noua elegia cum titulo* de seruitute amoris *in* **O** ‖ 1 Quoi **V** *mg. m. 2*: Qui **D N V** Cui **F** | fuit (sic **V** *mg. m. 2*) indocti fugienda semita **D V** fuit indocti fugienda (-di **F** *ex corr.*) et semita **F N**, *unde* haec semita ς; *equidem malim* fuerit fugienda indocti semita ‖ 2 Ipso epota *Heinsius*; *et sane quid* Ipsa *sibi uelit non claret*; *fortasse* Ecce ‖ 3 quanquam **D** quamquam **V** (*corr. mg. m. 2*) ‖ 5 quae iam **F** | illam *ex* idem *corr.* **N** *m. 1* ‖ 8 scribas **D V** | et quid **F** (*corr. m. 2*) haec quid **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 9 custodit **F** *m. 1* | auari ς ‖ 10 in nuda **D V** (*huius mg. m. 2* ł munda) ‖ 11 carae **D V** | uenditur *Hemsterhusius*: uertitur **O** Nam cardo s. i. t. uix uertitur *Heimreichius*

A pereant, si quos ianua clausa iuuat!
Contra, reiecto quae libera uadit amictu,
Custodum et nullo septa timore, placet,
Cui saepe inmundo Sacra conteritur Via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire uelit.
Differet haec numquam, nec poscet garrula, quod te
Astrictus ploret saepe dedisse pater,
Nec dicet 'timeo: propera iam surgere, quaeso;
Infelix, hodie uir mihi rure uenit.'
Et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,
Me capiant: nolim furta pudenda tori.
Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Stultus liberam erit si quis amare uolet.

XXIV.

'Sic loqueris, cum tu iam noto fabula libro
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?'
Quoi non his uerbis aspergat tempora sudor?
Aut pudor ingenuis aut retinendus amor.
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiae dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer urbem,

Var. lect. 12 si quas ς | iuuant **N** *m. 1* || 13 Ha **F** Ah *ceteri* | reiecto] quia (*compend.*) lecto **F**; *desidero uocabulum quo uestis matronarum indicetur*; *fortasse* praetexto || 15 immundo **D V** || 17 hoc **F** | posset **D** (*idem mg. pro uar. lect.* poscet) | garula **D V** | quae te **F** || 21 Hae *Lachmannus* | eufrates **D F V** || 22 capiant **O**: iuuerint **N** *interpolate* | pudenda *scripsi Misc. Crit. p.* 91: pudica **O** | thori **F N** || 24 Stultus liberam erit *scripsi*: Nullus liber erit **O**; *totum uersum e priore interpolatum putat Guil. Fischerus*

XXIV. *Noua elegia in* **O** (*sine titulo in* **D V**, ad cinthiam **F**); *uu.* 1—10 *Scaliger prioribus adiungit* || 1 Sic loqueris, cum tu *scripsi*: Tu loqueris cum sit **O** sis ς || 3 Quoi **D V**: Cui **F N** | surdo *Scaliger* || 4 ingenuis aut retinendus *scripsi*: ingenuus aut reticendus **O** Haut p. ingenuis, haut retic. a. *Hauptius*; *interpolatum uersum habet Lachmannus* || 5 iam ς || 6 nequiciae **D V**

Ureret et quamuis, non mala uerba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere uiles:
Parcius infamant: num tibi causa leuis?

*

*   *

Et modo pauonis caudae flabella superbae
Et manibus dura frigus habere pila
Et cupit iratum talos me poscere eburnos
Quaeque nitent Sacra uilia dona Via.
A! peream, si me ista mouent dispendia: sed me
Fallaci dominae iam pudet esse iocum.

XXIV b.

Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse leuem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam grauis esse tuo.
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas:
Ille tuus pennas tam cito uertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte,
In primis una discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat,

Var. lect. 7 traduc **V** (er *m. 2 suprascr.*, *eadem mg.* ł traduceret) ‖ 9 Ureret **O**: Urerer ς | non mala *scripsi*: nomine **O** non mihi *A. Palmer* ‖ 10 Partius **D F V** | num **F** *m. 2*, **N**: nunc **D V** (*in hoc* c *supp. m. 2*) mira **F** ‖ *inter* 10 *et* 11 *lacunae signum posui*; 11 *sqq. hinc alienos esse iam Scaliger perspexit* ‖ 11 Haec modo *Lachmannus* | fabella **N** *m. 1*, **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 12 durae — pilae *Heinsius* ‖ 13 *fortasse* cupide; subit iratam *Heinsius* ingratum *Lachmannus* | tales **N** ‖ 15 Ha **F** Ah **N**: Ac **D V** | sed ς: si **O**; *an* sic ? ‖ 16 tam *Lachmannus*

XXIVb. 17 *sqq. prioribus adhaerent in* **O**, *separauit Scaliger* ‖ 17 erit **N** | uidebas **V** *mg. m. 2* ‖ 19 nundum **D V** (*huius mg. m. 2* dura) ‖ *inter* 22 *et* 23 *aliquid intercidisse putat L. Muellerus* ‖ 24 Imprimis **F** ‖ 25 pugnat ad ydras **F** ‖ 26 experio (hexp. *m. 2*) **F**

Atra uenena libens et naufragus ebibat undas,
  Et numquam pro te deneget esse miser
(Quos utinam in nobis, uita, experiare labores):
  Iam tibi de timidis iste proteruus erit,
Qui nunc se in tumidum iactando uenit honorem:
  Discidium uobis proximus annus erit.
At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
  Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tum me compones et dices 'ossa, Properti,
  Haec tua sunt: eheu tu mihi certus eras.
Certus eras eheu, quamuis nec sanguine auito
  Nobilis et quamuis non ita diues eras.'
Nil ego non patiar: numquam me iniuria mutat:
  Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura,
  Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Paruo dilexit spatio Minoida Theseus,
  Phyllida Demophoon, hospes uterque malus.
Quam cito Iasonia uecta est Medea carina,
  Et modo ab infido sola relicta uiro!
Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
  Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis:
  Vix uenit, extremo qui legat ossa die.

VAR. LECT. 27 Atra *scripsi*: Tetra O Trita *Heinsius* | edibat D | 28 nusquam *Marklandus* ‖ 31 se *om.* ς | tumide F; in tantum *coni.* *Liuineius*; *malim* se tumide iactando inuenit ‖ 32 Dissidium D V | nobis F *m. 1* ‖ 33 sibill(a)e F N ‖ 35—38 *post* 52 *traicit Conr. Rossbergius* ‖ 35 Tum me *scripsi*: Tu mea O ‖ 36, 37 eheu F N (*priore loco* F *mg. m. 2* at heu): heu heu D V ‖ 38 non ita *Pontanus*: nauita O haud ita *Heinsius* ‖ 39 patiar F N (V *m. 2*): patior D V ‖ 41 peperisse (*ante hoc litt.* pp *deletis*) F perisse N *m. 1* ‖ 42 hauisse V ‖ 43 Paruuo N | thesaeus D ‖ 44 Fillida demophon F ‖ 45 Quam cito *scripsi*: Iam tibi O | uecta *Heinsius*: nota O ‖ 46 ab infido D V: *om.* F, seruato *idem mg. m. 2*, N *et* V *mg. m. 2* fallaci D *mg. pro uar. lect.* ‖ 47, 48 *post* 32 *Scaliger*, *post* 22 *Conr. Rossbergius ponebant* ‖ 49 te offerre *Heinsius* confidere lautis *Eldikius* gaudere *Schraderus*

Hi tibi nos erimus: sed tu potius precor ut me
Demissis plangas pectora nuda comis.

XXV.

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea 'saepe ueni',
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calue tua uenia, pace Catulle tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandaeuique negant ducere aratra boues,
Putris et in uacua requiescit nauis arena,
Et uetus in templo bellica parma uacat:
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Siue ego Tithonus siue ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro seruire tyranno
Et gemere in tauro, saeue Perille, tuo,
Gorgonis et satius fuit obdurescere uultu,
Caucaseas etiam si pateremur aues?
Sed tamen obsistam. teritur rubigine mucro
Ferreus et paruo saepe liquore silex:
At nullo dominae teritur sub crimine amator:

VAR. LECT. 51 Hi **N V**: Hii **F** Ii **D** Ni *Lachmannus* | praecor **D** | potius, precor, in me *Lachmannus* ‖ 52 pectore *Scaliger*

XXV. *Noua elegia cum titulo* ad amicam iratam (ir. *om.* **F**) *in* **O** ‖ 1 pulcerima **F** ‖ 2 uenit **N** *m. 1*; uenis, *cum* cura *coniungendum*, *uulgo*; Excludi q. fors m. s. uehit *Lachmannus* sors mea saeua uicem *Sandstroemius* (Excludi q. s. m. s. uenit *Maduigius*, *qua in scriptura saltim* mihi *expectes*) ‖ 5 annosis **N** *m. 1* ‖ 8 palma **F**, **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 9 diducet *Itali* ‖ 10 titonus **F** thitonus **N** ‖ 11 saeuire **V** *mg. m. 2* ‖ 12 saeue ς: s(a)epe **O** ‖ 14 Caucaseas **D V** Caukaseas **N**: Caucasias **F** ‖ 15 Obsistam, *ita* **O**; Non tamen obsita **V** *mg. m. 2* ‖ 16 liquore **F** *m. 2*, **N**, **V** *m. 2*: licore **O** ‖ 17 domin(a)e **F N** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*): de me **D** (*et* **V** *mg. m. 2*) dnę (*sic*) **V** | sub crimine *Langermannus*: sub lumine **O** sublimine **N** molimine *Dauisius* sub fulmine *uel* sufflamine *Fonteinius* (*hoc et Th. Birtius*) | amator *Heinsius*: amor qui **O**

Restat et inmerita sustinet aure minas.
Ultro contemptus rogat, et peccasse fatetur
Laesus, et inuitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persoluit uota fluentis,
Cum saepe in portu fracta carina natet,
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triuerit arte rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi.
Si qua uenit sero, magna ruina uenit.
Tu tamen interea, quamuis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu:
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto uerba nocere solent.
Quamuis te persaepe uocet, semel ire negato:
Inuidiam quod habet, non solet esse diu.
At si saecla forent antiquis grata puellis,
Essem ego quod nunc tu: tempore uincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores:
Unus quisque sua nouerit ire uia.
At uos, qui officia in multos reuocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina uestra dolor!
Vidistis pleno teneram candore puellam,

Var. lect. 18 Perstat *Wakkerus* Quin stat *ego conieci huc ultimam prioris uersus uoculam trahens* | in merita **O** immeritas ς | subst. **F** ‖ 19 cōptēptus **N** ‖ 20 inuictis **F** ‖ 21 plenos **N** *m. 1* | assūmis **D F** absumis **N** *m. 1* ‖ 22 Credula **F** ‖ 23 fluentis *scripsi Misc. Crit. p.* 92: procellis **O** ‖ 25 An **V** *m. 2* ‖ 26 arte ς: ante **O** ‖ 27 saltus **D** ‖ 31 suo] *malim* nouo; *ccterum totum distichon suspectum* ‖ 33 nocet **F** *m. 1*, **D** (**V** *num ita a m. 1 habuerit incertum*) | negato *scripsi Misc. Crit. p.* 92: memento **O** timeto *Lachmannus* simulare memento *Jacobus* ‖ *fortasse ante* 35 *aliquot disticha interciderunt* ‖ 35 Et **F** *m. 1*; Haec *Heinsius* | antiqua his grata *Dousa fil.* antiquis gnara *uel* nota *Passeratius* aequa *Burmannus* clara *Jacobsius*; *puto* apta ‖ 37 mutabant **N** | amores **V** *m. 2* ‖ 39 officia multos **O**; in *supra lin. add. ct* **F** *et* **V** *m. 2* (officia in multos **N**) ‖ 40 sic ς: si **O** Quantus io *Heinsius*; *num* Quantus, di, cruciat? | uestra **D V**: nostra **F N**

Vidistis fuscas: dulcis uterque color;
Vidistis quandam Argiuam prodente figura,
Vidistis nostras: utraque forma rapit;
Illaque plebeio uel sit sandicis amictu:
Haec atque illa mali uulneris una uia est.
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuiuis femina cura sua.

XXVI.

Vidi te in somnis fracta, mea uita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quaecumque in me fueras mentita fateri,
Nec iam humore graues tollere posse comas,
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore uexit ouis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet
Teque tua labens nauita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
Quaeque tibi excepi, iam dea Leucothoe!

Var. lect. 42 fuscas *Marklandus*: fusco **O** (fuscam *mauolt L. Muellerus, at cf. u.* 44) | dulcis **O**: ducit **N** ‖ 43 quadam **N** | Argiuam *scripsi*: argiua **O** | prodente **D F** *et fortasse* **V** *m. 1*: prodire **F** *m. 2*, **N** *et* **V** (*hic ita ut* ire *ex correctura uideatur esse*) ‖ 44 nostrate *uel* nostra *Passeratius* ‖ 45 Illaque *num rectum ?* | sit **F** *m. 2*, **N**: sic **O** | candicis (s *supra* ca *m. 2*) **F** sandycis **D** sandyris (c *supra* r *m. 2*) **V**; bombycis *Heimreichius* ‖ 48 femina cura sua *scripsi Misc. Crit. p.* 93: femina multa mala **O**, *quo retento* Una dat et *Burmannus inutiliter*

XXVI. *Noua elegia cum titulo* som(p)nium de amica *in* **O** ‖ 1 Vidi te] *et in* **F** *et in* **V** ego *insertum m. 1* (*sic*) *supra lineam* ‖ 2 lapsas **V** *m. 2* ‖ 3 fueris **F** *m. 1* ‖ 5 agitaui **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 6 quam] cum *Heinsius* (*melius* quom) ‖ 7 Quā tuū **F** (q; *inseruit m. 2 eademque mg.* Quam timui) ‖ 8 Teque *Heinsius*: Atque **O**; *ceterum* 7 *et* 8 *ante* 5 *et* 6 *poni uoluit Burmannus* ‖ 9 Quem — quem **D V** (*in hoc alterum* quem *in* quę *corr. m. 2*). | fratri] ferri **F** ‖ 10 Quemque **D**; Quae tibi suscepi *Heinsius* | iam] tum *Beroaldus* | leucothoe **O** (leuch. **N**): Leucothea *uulgo*

13 Quod si forte tuos uidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris,
15 Et tibi prae inuidia Nereides increpitarent,
Candida Nesaee, caerula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere uidi,
18 Qui, puto, Arioniam uexerat ante lyram.
11 At tu uix primas extollens gurgite palmas
12 Saepe meum nomen iam peritura uocas.
19 Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
20 Cum mihi discussit talia uisa metus.

XXVI[b].

Nunc admirentur quod tam mihi pulcra puella
Seruiat et tota dicar in urbe potens.
Non, si iam Gygae redeant et flumina Croesi,
Dicat 'de nostro surge, poeta, toro.'
25 Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui durare potest multa, et amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
30 Hanc sequar, et fidos una aget aura duos,

VAR. LECT. *uu., qui sunt in* **O** 11 *et* 12, *post u.* 18 *traieci* ‖ 15 prae inuidia **O**: ob inuidiam **V** *mg. m. 2*, **N** | nereydes **F** ‖ 16 Nesaee *Fruterius*: nisee **F V** (*huius m. 2* nesęae) niseae **D N** ‖ 18 Quam **N** | liram **F** ‖ 20 iussa *uel* uissa **N**

XXVI[b]. *Adhaeret priori in* **O**, *separauit Burmannus* ‖ 21 pulchra **D V** ‖ 23 si] nisi **V** *mg. m. 2* | iam Gygae *Schraderus*: cambis(a)e *uel* cambys(a)e **O** | flumina] **F** *mg. m. 2* at filia | creosi **D V** (*hic mg. m. 2* chroesi; *et ita* **N**) ‖ 24 thoro **F N** ‖ 25 audisse **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 26 sanctae **N** ‖ 28 Qui durare potest multa *Hieronym. de Bosch*: Qui dare multa potest multa **O**; *totum u. ex Ouid. am.* III 8, 62 *interpolatum putat Broukhusius*; multa negare potest *Marklandus*, non et amare potest *Santenius similiaque non magis apta alii* ‖ 29 *nouam elegiam incipit* **N**

33 Et tabula una duos poterit componere amantes
34 (Prora cubile mihi seu mihi puppis erit);
31 Unum litus erit sopitis unaque tecto
32 Arbor, et ex una saepe bibemus aqua.
35 Omnia perpetiar: saeuus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat,
Quicumque et uenti miserum uexastis Ulixem
Et Danaum Euboico litore mille rates,
Et qui mouistis duo litora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non umquam desit ocellis,
Incendat nauem Iuppiter ipse licet.
Certe isdem nudi pariter iactabimur oris:
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Ioui.
Testis Amymone, latices cum ferret, in Argis
Compressa, et Lernae pulsa tridente palus.
Iam deus amplexu uotum persoluit: at illi
Aurea diuinas urna profudit aquas.
Crudelem et Boream rapta Orithyia negauit:
Hic deus et terras et maria alta domat.
Crede mihi, nobis mutescet Scylla nec umquam
Alternante uacans uasta Charybdis aqua;
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris,

Var. lect. *uu., qui sunt in* **O** 31 *et* 32, *post* 34 *traieci* ‖ 31 tectum *Heinsius* ‖ 34 pupis **F N** ‖ 36 in *om.* **F** *m. 1* | turbidus *Puccius* | hauster **F D V** ‖ 37 ulixen **N** ‖ 38 ēboico, u *inter* ē *et* b *supr. lin.*, **F** ‖ 39 duo litora *corruptum*; *fortasse* mouistis, scopuli, iuga | rudis **F** *mg. m. 2*: ratis **O** | argus ς: argo **O** (ergo **F** *m. 1*) ‖ 40 Duxerat **F** ‖ 41 desit] spectat **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 42 iupiter **F N** ‖ 43 his'am (*mg.* hisdem) **F** hisdem **D** iisdem **V** | horis **F N**; auris *Fonteinius* ‖ 44 modo **V** *m. 2 et* **N**: quoque **O** ‖ 47 amimone **D V** (*hic* amym. *m. 2*) a minione **F** ammimone **N** | dum **N** | Argis ς: aruis **O** ‖ 48 lerne **F N** ‖ 49 uocū percussit **F**, *corr. mg. m. 2* | ille **N** *m. 1* ‖ 50 perfudit (re *supra* p *posuit m. 2*) **F** refudit **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 51 orithia **F** orithya **D N V** (horythyia *huius m. 2*) ‖ 53 mutescet **D V**: mitescet **F N** | scilla **F N** ‖ 54 uacans *Ayrmannus*: uorans **O**, *quo retento* nec usquam *Lachmannus*; Alternas reuomet — aquas *uulgo* | caribdis **F** caribris **N**

Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore uita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

XXVII.

At uos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, et qua sit mors aditura uia,
Quaeritis et caelo Phoenicum inuenta sereno,
Quae sit stella homini commoda quaeque mala.
Seu pedibus Parthos sequimur seu classe Britannos:
Et maris et terrae caeca pericla uiae;
Rursus et obiectum flemus capiti esse tumultum,
Cum Mauors dubias miscet utrimque manus.
Praeterea domibus flammam metuisque ruinas,
Neu subeant labris pocula nigra tuis!
Solus amans nouit, quando periturus et a qua
Morte, neque hic Boreae flabra nec arma timet;
Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat et infernae tristia uela ratis:
Si modo clamantis reuocauerit aura puellae,
Concessum nulla lege redibit iter.

VAR. LECT. 56 hedus **N**: edus **F** aedus **D V** ‖ 57 Quid **D**, **V** *m. 1*, **N**

XXVII. *Noua elegia cum titulo* de incerta hora mortis (*om.* **V**) *in* **O** ‖ 1 At **O**: Et ς ‖ 3 fenicum iuuenta (n *supra* iu *posuit m. 2*) **F** ‖ 5, 6 *post* 12 *traiecit Heimreichius* ‖ 5 sequimur **O**: sequitur ς | brittannos **N** ‖ 6 caeca perinde uia est *Waardenburgius* ‖ 7 flemus **O**: fletus **N** fletis ς | capiti **D V** (*et* **F** *mg. m. 2*): caput **F N**, *unde* tumultu *L. Muellerus* ‖ 8 uterque **D** ‖ 9 flamā **V** flammas ς | metuisque *L. Muellerus*: domibusque **O** dominisque *Lachmannus* | ruinas *corr. in* ruinā **V** *m. 2* ‖ 10 Neu, u *m. 2 suppuncta* **V** | suis *Broukhusius* ‖ 12 boraeae **N** | nec **D V**: neque **F N** (*et* **V** *m. 2*) ‖ 13 liquet **F** *m. 1* | stigia **F N** | remex] maerens *Heimreichius* ‖ 14 Cernat **F N**: Seruat **D V** (*uterque mg. pro uar. lect.* cernat) Soluat *Broukhusius*; *quo recepto sic interpunxerim* arundine, remex Soluat et ‖ 15 clamantis **O**: damnatis **V** *mg. m. 2* damnatum ς

XXVIII.

Iuppiter, affectae tandem miserere puellae:
  Tam formosa tuum mortua crimen erit.

*

* *

Venit enim tempus, quo torridus aestuat aer,
  Incipit et sicco feruere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est neque crimina caeli,
  Quam totiens sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante, puellas:
  Quicquid iurarunt, uentus et unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus ipsa paremque?
  Prae se formosis inuidiosa dea est.
An contempta tibi Iunonis templa Pelasgae,
  Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere uerbis:
  Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi uexatae per multa pericula uitae
  Extremo ueniet mollior hora die.
Io uersa caput primos mugiuerat annos:
  Nunc dea, quae Nili flumina uacca bibit.
Ino etiam prima terris aetate uagata est:
  Hanc miser inplorat nauita Leucothoen.

Var. lect. XXVIII. *Noua elegia cum titulo* de amica aegrotante *in* **O** ‖ 1 Iupiter **F N** ‖ 2 Iam (I *a rubricatore*) **N** ‖ *de uu.* 1 *et* 2 *cf. ad* 33 ‖ 3 extuat **F** ‖ 5 non, *suprascr.* c, **V** ‖ 7 perdit ante **F** *m. 1* ‖ 8 iurarem **N** iurarunt, *suprascr.* τ̃ (= iuratur) *m. 2*, **V** ‖ 9 Num **D F**: Nun **V** Non **N** | ipsa ς: illa **O** | paremque **F**: pareque **D** p≡req; **V** (perȩque *m. 2*) per aequae **N** ‖ 10 Prae se] Per se ς *Lachmannus* Semper *Marklandus*; *malim* Praeses | insidiosa *Behotius* ‖ 11 At contenta **V** *mg. m. 2* | membra *Waardenburgius* ‖ 12 Pallidis **N** ‖ 15 tibi] mihi **V** *mg. m. 2* | uexata — uita ς | post multa *Pricaeus* ‖ 16 ueniet **V** *m. 2*: uenit **O** ueniat ς | aura *Passeratius* ‖ 18 uacha **F** ‖ 19, 20 *Sandstroemius*, 21 *et* 22 *Heimreichius interpolatos putant* ‖ 19 terris **O**: terras *uulgo* | ūagata **D**; Thebis a. fugata est *coni. Jacobus* ‖ 20 impl. **D V** | leucothoen (leuchoth. **F**) **O**: Leucotheén *uulgo*

Andromede monstris fuerat sacrata marinis:
  Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios errauerat ursa per agros:
  Haec nocturna suo sidere uela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
  Igne sepulturae facta beata tuae
Narrabis Semelae, quo sit formosa periclo
  (Credet et illa, suo docta puella malo),
Et tibi Maeonias omnis heroidas inter
  Primus erit nulla non tribuente locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere saucia morem:
  Et deus et durus uertitur ipse dies.

*

* *

Hoc tibi uel poterit coniunx ignoscere Iuno:
  Frangitur et Iuno, si qua puella perit.
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
  Et tacet extincto laurus adusta foco,
Et iam Luna negat totiens descendere caelo,
  Nigraque funestum concinit omen auis.
Una ratis fati nostros portabit amores
  Caerula ad infernos uelificata locos.

VAR. LECT. 21 Andromade D Andromaede V | sacrata *scripsi*: monstrata O deuota *et* F *et* V *mg. m. 2*, N || 22 erat] ouat *Eldikius* || 23 Callisto V *m. 2*, N: Calisto O | archadios F N || 24 sidera F || 26 Igne *scripsi*: Illa O Ipsa ς | facta ς: fata O *e u. priore*; sepultura facta b. tua *Marklandus* fata parata *Fonteinius* Ipsa, s. sorte b. tuae, Narrabis *Lachmannus* || 27 semele O | sit O (fit F *m. 1*): sis *Fruterius* || 28 illa] ipsa *Santenius* sua D, V *m. 1* || 29 meonidas F | omnis herodias (*sic*) iuter D V (*quod confirmat Ouid. trist.* I 6, 33): inter heroidas omnis F N || 31 utrumque D (*in* V c *ex corr.?*) | potest D potes≡ V | sautia F || 32 dirus *Fonteinius* || 33 *sqq. cohaerent cum prioribus in* O (*nisi quod a* 35 *nouum carmen in* N); 33 *et* 34 *post u.* 2 *traiecit Passeratius*, *et certe haec coniungenda* (*frustra enim u.* 33 coniunx *commatis inclusit Lachmannus*), *sed uidentur mihi uu.* 1 *et* 2 *cum* 33—46 *copulati ante uu.* 3—32 *ponendi* || 33 poterit N: poterat O | uino, *hic et u. seq.* D N || 35 Deffic. V | sub imagine F | rhombi V *mg. m. 2*, rōbi F *m. 2*: rumbi D V nībi F bōbi N || 36 tacet *Canterus*: iacet O || 38 concinit V *mg. m. 2*: condidit O (*cf. Ouid. am.* III 12, 2) || 40 Garrula F | locos (*cf.* I 19, 8) *scripsi*: lacus O (*at in lacu ratis fatalis uehitur*)

Si non unius, quaeso, miserere duorum.
  Viuam, si uiuet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
  Scribam ego 'per magnum est salua puella Iouem';
Ante tuosque pedes illa ipsa operata sedebit
  Narrabitque sedens longa pericla sua.

XXVIIIb.

Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu,
  Persephonae coniunx, saeuior esse uelis.
Sunt aput infernos tot milia formosarum:
  Pulcra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Iope, uobiscum candida Tyro,
  Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae;
Et quot Creta tulit uetus et quot Achaia formas
  Et Thebae et Priami diruta regna senis,
Et quaecumque erat in numero Romana puella,
  Occidit: has omnis ignis auarus habet.
Nec forma aeternum aut cuiquam est fortuna peremnis:
  Longius aut propius mors sua quemque manet.

Var. lect. 41 Set **N** | misere **F** *m. 1* ‖ 44 est **O**: *om.* ς ‖ 45 operata *Heinsius*: operta **O** adoperta **V** *m. 2*

XXVIIIb. *Cohaeret superioribus in* **O**, *separ. Lachmannus* ‖ 47 Haec **V** *m. 2*, **N**: Nec **O** Hanc *Passeratius* Huic — faueat *Heinsius* | moueat **D V** (*in hoc corr. mg. m. 2*) ‖ 48 Persephone **O**, *corr.* **V** *m. 2*; Persephones ς | sceuior **V** *m. 1* ‖ 49 aput **V** *m. 1*: apud *m. 2 et ceteri* | millia **V** *m. 2* ‖ 50 Pulchra **D V** | si licet **N V**: scilicet **D**, **V** *m. 2*, **F** *mg. m. 2* (scl'et **F** *m. 1*) | dies locis **F** ‖ 51 est iope **O**: est io *uel* est iole *uel* antiope ς est Alope *Ungerus* | est *post* uobiscum *repetit* **D** | tiro **F** 52 europae **D** | pasiphone **D**, **V** *m. 1* ‖ 53 Creta *Conr. Rossbergius*: troia **O** Iona *ex interpolato suo codice Scaliger* Sparta *Heinsius* Phthia *Wassenbergius* Eoa *Hertzbergius praeeunte Grutero* Thraca *Paldamus* ‖ 54 Thebae *Scaliger*: ph(o)ebi **O** Beli *Jacobus*; *an* Pelei *?* ‖ 55 in numero hoc *Ayrmannus* ‖ 56 omnes **D V** om̄s **F** | ignis *defendi posse nego*; *fortasse* Ditis *uel* Orcus (ignis Auernus *coni. Francius*) ‖ 57, 58 *spurii sunt uisi Fonteinio* ‖ 57 peremnis **F**: perennis **D V** perhennis **N** ‖ 58 proprius **F** (r *alt. suppuncta m. 2*), **N**

Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros,
Redde etiam excubias diuae nunc, ante iuuencae:
Votiuas noctes Isidi solue decem.

XXIX.

Extrema modo cum perpotus nocte uagarer,
Nec me seruorum duceret ulla manus,
Obuia, nescio quot pueri, mihi turba minata
Venerat (hos uetuit me numerare timor);
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam uisa est uincla parare mihi.
Sed nudi fuerunt. quorum lasciuior unus
'Arripite hunc' inquit; 'nam bene nostis eum.
Hic erat, hunc mulier nobis irata locauit.'
Dixit, et in collo iam mihi nodus erat.
Hic alter iubet in medium propellere, et alter
'Intereat, qui nos non putat esse deos!
Haec te non meritum totas expectat in horas:
At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.

Var. lect. 59 Nunc *Fonteinius* | demissa **O**, *corr.* ς ‖ 60 tholo ς *Heinsius* ‖ 61 iuuente **F** iuuentę **V** *m. 1* ‖ 62 Isidi *scripsi* (*Misc. Crit. p.* 93): et mihi **O**

XXIX. *Adhaeret praecedenti in* **O**, *separauit* **V** *m. 2*, **N** ‖ 1 Extrema *Heinsius*: Hesterna **O** | modo cum perpotus *scripsi*: modo (mea **F** *m. 2 suprascr.*, **N**, **V** *ex corr.*) lux cum potus **O** | uagaret **F** *m. 1* ‖ 3 minata *scripsi*: minuta **O** (*quod ut refellit* nescio quot *et* uetuit numerare, *ita unde* timor *ille uenerit scire cupimus*) ‖ 4 hoc **F** *m. 1*, **N** ‖ 7 Ut tunica (*uel* nudum) exuerant, horum *Fonteinius*; *neque ego* Sed *intellego, ut malim* Nec nudi (= *inermes*) | fuerunt *Heinsius*: fuerant **O** ‖ 8 iam **N** ‖ 9 notauit *C. F. G. Muellerus mus. Rhen.* XX *p.* 473, *recte puto* ‖ 10 Dixit et **F N** (*et* **V** *mg. m. 2*): Dixerat **D V** ‖ 11 Hinc *Heinsius* | at alter **N** ‖ 13 Hoc **D** (*et* **V** *mg. m. 2*) ‖ 14 inempte **N** | foris *Dousa pater*

Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
  Soluerit, atque oculos mouerit illa graues,
Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
  Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite iam, fratres: iam certos spondet amores,
  Et iam ad mandatam uenimus ecce domum.'
Atque ita me iniecto soluerunt rursus amictu:
  'I nunc, et noctes disce manere domi.'
Mane erat, et uolui, si sola quiesceret illa,
  Visere: et in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior umquam
  Visa (neque, ostrina cum fuit in tunica,
Ibat et hinc castae narratum somnia Vestae,
  Neu sibi neue mihi quae nocitura forent),
Qualis uisa mihi somno dimissa recenti:
  En quantum per se candida forma ualet!
'Quid tu matutinus' ait 'speculator amicae?
  Me similem uestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
  Vel tu uel si quis uerior esse potest.
Apparent non ulla toro uestigia presso,
  Signa uoluptatis, nec iacuisse duos.

VAR. LECT. 15—18 *aliunde inlatos putat Fonteinius* ‖ 15 sydoniae **N** ‖ 16 illa] inde *Waardenburgius*; *malim* igne ‖ 17 Adfl. **F N**: Affl. *ceteri* ‖ 21 me in lecto duxerunt **O** (dix. **F**); iniecto ς; mi — dixerunt *Heinsius*, *cum tamen amictu priuatum esse poetam nusquam legatur*; *unde* soluerunt *scripsi* (iniectus amictus *est* nodus *u.* 10) ‖ *a u.* 23 *nouam elegiam ordiri uoluit Guyetus* ‖ 24 et ς: at **O** ‖ 25 Ostipui **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 26 nec **V** *m. 2* | ≡ostrina **V** ‖ 27 *et* 28 *post* 40 *transponi uult Fonteinius* ‖ 27 narrabat **F** narrabant **V** *mg. m. 2* ‖ 28 Neu **F N** (**V** *m. 2*): Non **D V** ‖ 29 Qualis *Broukhusius*: Talis **O**, *quo retento* ut *pro* et *u.* 27 *Lachmannus* | dimissa ς: demissa **O** ‖ 30 En *L. Muellerus*: Heu **O** O *Schraderus* ‖ 31 Quid **D**, **V** *m. 1*: Quod **F N** (*et* **V** *ex corr.*) Quo ς | matutinis **D** | amice **O** (*non* **N**) ‖ 34 certior *Heinsius* ‖ 35 thoro **F N** | pressa **F** ‖ 36 uoluptatis **D V**: uoluntatis **F N** uolutantis **F** *m. 2* (*quod qui Cynthiae ori conuenire negant, eam contemptim loqui obliuiscuntur*) | nec **V** *mg. m. 2*, **N**: non **O**, *unde* uolutantis coniacuisse *conieci Misc. Crit. p.* 93

Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
  Spiritus, admisso natus adulterio.'
Dixit, et opposita propellens sauia dextra
  Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti cultor secludor amoris:
  Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

XXX.

Quo fugis, a demens? nulla est fuga: tu licet usque
  Ad Tanaim fugias: usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo uecteris in aere dorso,
  Nec tibi si Persei mouerit ala pedes:
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
  Nil tibi Mercurii proderit alta uia.
Instat semper Amor supra caput: instat amanti,
  Et grauis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos et tollere numquam
  Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, deus exorabilis ille est,
  Si modo praesentis uiderit esse preces.

*

* *

Ista senes licet accusent conuiuia duri:

VAR. LECT. 38 natus *Dousa pater*: notus **O** motus *Marcilius* || 39 suauia **D**, **V** *m. 1* | dextra ς: nostra **D F N**, *om.* **V** *m. 1* (ueste *m. 2*) || 40 laxa **F** *mg. m. 2*, **V** *ex corr.*: saxa **D F N** *et sine dubio* **V** *m. 1* (= **O**) || 41 cultor secludor *ego*: custos recludor **D V** custodis rector **F** custode reludor **N** custos reiector ς custos eiector *Passeratius* custodi excludor *Heinsius* custos eludor *Burmannus* cultu secludor *Lachmannus* || 42 nox ς: non **O**

XXX. *Adhaeret priori in* **O**, *separauit* **V** *m. 2* **N** || *quattuor fragmentis eis quae distinxi hoc carmen in* **O** *uno tenore fluens constare intellexit Heimreichius* || 1 ha **F** ah *ceteri* || 2 tanaim **V**: tantam **D F** tanain **N** || 3 uectens **D** || 6 mercuri **N** || 8 ipsa *Beroaldus* || 9 nusquam ς || 11 Sed *Burmannus* At *I. H. Vossius* | ille; *puto* idem || 12 esse] ille **D** (*et* **V** *mg. m. 2*) || *de uu.* 13—18 *cf. ad* 31 || 13 conuiuia *puto in* conubia *mutanda, si haec cum uu.* 23 *sqq. cohaerent*

Nos modo propositum, uita, teramus iter.
Illorum antiquis onerantur legibus aures:
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non iure uado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.

*
* *

Num tu, dura, paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere Hyrcani litora longa maris
Spargereque externa communes caede Penates
Et ferre ad patrios praemia dira Lares?

*
* *

Unum contentum pudeat me uiuere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit:
Mi nemo obiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
Rorida muscosis antra tenere iugis.
Illic aspicies scopulis haerere sorores
Et canere antiqui dulcia furta Iouis,
Ut Semele est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Trois tecta uolarit auis.
Quod si nemo extat, qui uicerit alitis arma,

Var. lect. 15 onerantur **O**: onerentur ς ornentur **V** *mg. m. 2* | 16 tybia **N** | senes **F** *m. 1* sonet **D V** ‖ 17 menandri **O**, *in* **N** *m. 2* n *prior suppuncta* ‖ 18 palladis **N**: pallidus **O** | tumor **V** *mg. m. 2*, **N**: timor **O** ‖ 19 Num *Scaliger*: Nunc **O** (Non **N**, *corr. mg*) | tu **D V** (*et* **F** *m. 2 supra lin.*): *om.* **F** iam **V** *mg. m. 2* tamen **N**; *fortasse* Tun' tam *uel* Tun o | dura paras **O**: dure paras ς inmerito **N** *interpolate* | frigias **F** ‖ 20 hircani **F** | longa *ego*: nota **O** lata *Heinsius* nuda *Lachmannus* Eoa *Jacobus* nauta *Hertzbergius* ‖ 21 Spargereque **O**: Spargere et **N** | externa *Guyetus*: alterna **O** | comunes **D V** ‖ 22 dira] digna **V** *mg. m. 2* ‖ 23 Unum *scripsi* (*coll. u.* 32): Una **O** | amicha **F** ‖ 25 memo **N** *m. 1* | liceat modo c. tecum **V** *mg. m. 2* ‖ 26 Rorida **O**: Roscida ς | detenere **N** *m. 1* ‖ 29 Et **F** *m. 1* | semele **D V**: semel **F** semela **N** *num* Semelest? 30 Trois *Ruhnkenius*: troi(a)e **O** | uolarit **V** *m. 2*, **N** *m. 2*: uolaret **O** uolari **N** *m. 1* ‖ 31, 32 *potius post* 36 *ponendos*, *tum* 13—18 *inserendos* (*hoc praeeunte A. Lindnero in Fleckeis. ann. a.* 1864 *p.* 837) *statuit Conr. Rossbergius non male* ‖ 31 *olim conieci* fugerit

Communis culpae cur reus unus agor?
Nec tu uirginibus reuerentia moueris ora:
Hic quoque non nescit quid sit amare chorus,
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine eo nostrum non ualet ingenium.

XXXI.

Quaeris, cur ueniam tibi tardior. aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit,
Quanta erat in speciem, Poenis digesta columnis,
4 Inter quas Danai femina turba senis.
9 Tum medium claro surgebat marmore templum,
10 Et patria Phoebo carius Ortygia.
Aequos Solis erat supra fastigia currus;
Et ualuae, Libyci nobile dentis opus,
Altera deiectos Parnasi uertice Gallos,
Altera maerebat funera Tantalidos.

Var. lect. 32 comunis **D V** ‖ 33 Nec te uirginei r. mouerit oris ς ‖ 34 nescit *in* noscit *corr.* **V** | scit **F** ‖ 35 Sed **N** | oeagrii **V**; Oeagro *Burmannus senior* ‖ 36 ingemuit **D** (*et* **V** *mg. m. 2*) *ex* I 1, 14, *sed idem* accubuit *mg. pro uar. lect.* ‖ 37 me **O**: te ς *Guyetus* ‖ 38 docta] tecta *Scaliger* | baccus **F** bachus **N** | eris *Rossbergius* ‖ 39 campi **F** *m. 1* | corimbos **F** ‖ 40 eo *scripsi*: te **O**

XXXI. *Adhaeret superiori in* **O**, *separauit* **V** *m. 2* ‖ 3 Quanta *scripsi*: Tanta **O** Tota ς | in spatium *Heinsius* | penis **N** pennis (*alt.* n *suppuncta m. 2*) **V** poenis **F** *mg. m. 2*: *om.* **D F** | columnis **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*: columbis **O** ‖ 4 aquas **V** *mg. m. 2* | senis] nurus **V** *mg. m. 2* ‖ *uu. qui sunt in* **O** 5—8 *post* 16 *traiecit Dousa filius* ‖ 9 Dum **D**, **V** *m. 1* | Clario *Scaliger* Pario *Guyetus* ‖ 10 carius **F N** (*et* **V** *mg. m. 2*): clarior **D V** | orthigia **F** ortigia **N** ‖ 11 Aequos (*i. e. itidem marmoreus*) *scripsi*: Et quo **O** Auro *uel* In quo ς Et duo — erant *Hertzbergius* ‖ 12 *fortasse* At | libici **F N** ‖ 13 parnassi **D V**

15 Deinde inter matrem deus ipse interque sororem
16   Pythius in longa carmina ueste sonat.
5 Hic Phoebus Phoebo uisus mihi pulcrior ipso
  Marmoreus tacita carmen hiare lyra,
Atque aram circúm steterunt armenta Myronis,
8   Quattuor artifices, uiuida signa, boues.

*

*   *

XXXII.

*

*   *

Qui uidet, is peccat; qui te non uiderit ergo,
  Non cupiet: facti lumina crimen habent.
Nam quid Praenesti dubias, o Cynthia, sortes,
  Quid petis Aeaei moenia Telogoni?
5 Cur tua te Herculeum deportant esseda Tibur?
6   Appia cur totiens te uia Lanuuium?

Var. lect. 14 maerebat] *res Phoebo gloriosas fores maeruisse aegre fero*; *num* narrabat *?* ‖ 16 Phithius **F** Pithius **N** ‖ 5 Phoebus *Hoeufftius*: equidem **F N**, *et* **V** *ita ut* qui (q) *fortasse ex correctura sit*, eadem **D** quidam *Marklandus* | pulchrior *codd. praeter* **F** ‖ 6 iare **F** *m. 1* hyare **N** habere **D** (*et* **V** *mg. m. 2*) ‖ 7 steterunt **F**: steterant **D V N** steterantque **F** *m. 2* ‖ 8 Quatuor **O** | artificis **O**; artifices *uulgo* | inuida **D V** ‖ *finem deesse uidit Perreius*

XXXII. *Adhaeret priori in* **O**; *initium deesse uidit Perreius* ‖ 1 his **F** | non te **D V** ‖ 2 lumina crimen *Heinsius*: crimina lumen **O** | habent **O**: habet ς ‖ 3 qui **F**, *corr. mg.* | Praenestis *Itali* Praeneste in *Lachmannus* ‖ 4 eaei **D V** e ei **F** aeei **N** | lethogoni **O**, Thelegoni **V** *mg. m. 2* Telegoni *uulgo* ‖ 5 Cur tua te *scripsi*: Curua te **N** Cur uatem **O** Curue te in *uulgo* Cur aut te *L. Muellerus* | deportantes sed abitur **N** tybur **F V** ‖ 6 Lanuuium *uir doctus in Misc. Obs.* II *p.* 106: ducit (dicit **F** *m. 2*, **N**) anum **O** (anus **V** *ex corr.*); ducit? amas *Relandus*; *Fonteinius ita tuetur 'i. e. anili habitu duci se curabat per uiam Appiam ad arcanas tabernas'*, *frigide puto*

9 Cur uidet accensis deuotam currere taedis
10 Te nemus et Triuiae lumina ferre deae?
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulaeis nobilis Attalicis,
Et crebris pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quaeque Marone cadunt
15 En leuiter lymphis toto crepitantibus orbe,
16 Cum subito Triton ore recondit aquam!
7 Hoc utinam spatiare loco, quodcumque uacabis,
8 Cynthia! sed tibi me credere turba uetat:
17 Fallis, et ista tui furtum uia monstrat amoris:
Non urbem, demens, lumina nostra fugis!
Nil agis, insidias in me componis inanes,
20 Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est: famae iactura pudicae
Tanta tibi miserae, quanta meretur, erit.
Nuper enim de te nostram deuenit ad aurem
Rumor et in tota non bonus urbe fuit.
25 'Sed tu non debes inimicae credere linguae:
Semper formosis fabula poena fuit.'
Non tua deprenso damnata est fama ueneno
(Testis eris puras, Phoebe, uidere manus);

Var. lect. *uu.* 7 *et* 8 *post* 16 *traieci* (*cf. Misc. Crit. p.* 94) ‖ 9 Cur *scripsi*: Cum **O** | thedis **F** ‖ 10 Te *scripsi*: In **O** ‖ 11 colūpnis **F** ‖ 12 attaylicis **F** attaicis **N** ‖ 13 crebris *scripsi*: creber **O** celeber *Heinsius* | creb. par. plat. **D V**: creb. plat. par. (pariterque *m. 2*) **F** plat. creb. par. **N** | surgentibus *Calphurnius*: urgentibus **O** | crebri — horti *Marklandus*; *sed cf. de usu uocis* ordo II 13, 23 ‖ 14 suspenso quaeque Anione *Marklandus perprobabiliter* ‖ 15 En *ego*: Et **O** Tot *Itali* | lymphis ς: nymphis **F V** nymphas **D** nimphis **N** | toto — orbe *Heinsius*: tota — urbe **O** ‖ 16 refundit *Heinsius*; *malim* recludit (*ita et* ς) ‖ 7 spaciare **D V**: spatiere **F** spaciere **V** *m. 2*, **N** | quocumq; uagabis (b *ex corr.*) **F**, uagaris ς ‖ 8 sed **O**: nam ς | tibi me **D V**: timeo **F** time **N** | uocat **N** ‖ 17 Fallis et *scripsi*: Falleris **O** Fallor et *Lachmannus* ‖ 20 inhers *et* tota **F** ‖ 21 fama i. pudicitiae **N** ‖ 22 meretur **N**: mereris **O** | eris **F** *m. 1* 23 nostram *ego*: nostra **O** nostras **F** *m. 2* | deuenit *scripsi*: me l(a)edit **F N** (*et* **V** *m. 2*) me l(a)edet **D V** peruenit ς peruadit *Heinsius* praecedit *Huschkius* | aurem *ego*: aure **F** aures *idem m. 2* **D N V** ‖ 25 tu] te *Scaliger* | cedere *Wakkerus* ‖ 26 fuit] tuis **N** ‖ 28 pura **N** *m. 1*

Sin autem longo nox una aut altera luxu
Consumpta est, non me crimina parua mouent.
Tyndaris externo patriam mutauit amore,
Et sine decreto uiua reducta domum est.
Ipsa Venus, quamuis corrupta libidine Martis,
Nec minus in caelo semper honesta fuit,
Quamuis Ida suum pastorem dicat amasse
Atque inter pecudes accubuisse deam:
Hoc et Hamadryadum spectauit turba sororum
Silenique senes et pater ipse chori,
Cum quibus Idaeo legit sibi poma sub antro,
Subposita excipiens Naica dona manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit
'Cur haec tam diues? quis dedit? unde dedit?'
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit!
Haec eadem ante illam iam inpune et Lesbia fecit:
Quae sequitur, certe est inuidiosa minus.
Qui quaerit Latias ueteres durasque Sabinas,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos
Altaque mortali deripere astra manu,
Quam facere ut nostrae nolint peccare puellae:
Is mos Saturno regna tenente fuit.

Var. lect. 29 luxu **D V**: lusu **F N** ‖ 30 scrinia **N** *m. 1* ‖ 31 Tind. **F N** | motauit **N** ‖ 34 decreto *obscurum*; *puto* iactura (dedecore est — domum *Santenius*) | una **F** *m. 1* ‖ 33 quamuis **O**: fertur **N** | correpta cupidine *Fonteinius* ‖ 34 Nec **O**: Non ς Num *Francius* ‖ 35 Ida suum *scripsi*: ida parim **D V** *et* (parī) **N** idaparim (pa *ex corr.*) **F** Ida boum past. *Valckenarius* Ida Phrygem *Schraderus* Ida palam *Hauptius* (*sed notionem uocis* palam *exprimunt uu.* 37, 38) ‖ 37 Non **F** *m. 1* | amadriadum **D N** amadryadum **V** ‖ 38 Silleniq; *ex* Suleniq; *corr.* **F** | senes ς: senis **O** ‖ 39 legit sibi *scripsi*: legisti **O**, *quod ut seruaret*, *u. seq.* excipiens, Nai, caduca *coni. Scaliger* (diua, cad. *Heinsius*) ‖ 40 Subp. **N**: Supp. **O** | Nanica *Ungerus* ‖ 42 *malim* unde redit? ‖ 45 iam *add.* ς, *Schraderus*: *om.* **O** | imp. **D V** ‖ 47 Latias *Schraderus*: tatios **D V** tacios **F** tacitos **N** | durosque Sabinos **O**, *corr. Heinsius* ‖ 50 deripere *Burmannus*: deligere **O** ‖ 51 uolint **D** noluit **N** ‖ 52 Is **DV**: HIs **F** Hic **V** *mg. m. 2 et* **N**

At cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiqui Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum seruare pudicum,
Quae dea cum solo uiuere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut aiunt,
Corrupit torui candida forma bouis;
Nec minus aerato Danae circumdata muro
Non potuit magno casta negare Ioui.
Quod si tu Graias es tuque imitata Latinas,
Semper uiue meo libera iudicio.

XXXIII.

Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis:
Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque utinam pereat, Nilo quae sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis!
Quae dea tam cupidos totiens diuisit amantes?
Quacumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Iouis occultis in amoribus, Io,
Sensisti, multas quid sit inire uias,
Cum te iussit habere puellam cornua Iuno
Et pecoris duro perdere uerba sono.
A quotiens quernis laesisti frondibus ora,

Var. lect. 53 At *Vulpius*: Et O Sed *Valckenarius* | orbem *ex* urbem *corr.* N || 54 antiqui *Marklandus*: antiquas O || 59 dane N danne D V || 61 es tuque *ego*: tuque es F N siue es D V tuque es mirata ς *Schraderus* seu sis *Beroaldus* aeques i. Latina *Lachmannus* (aequesque *L. Muellerus*) | latinos N || 62 tuo *Lachmannus*

XXXIII. *Noua elegia in* O (*adhaeret superiori in* N), ad cinthiam F de cynthia D V *inscribunt* || 1 sollepnia N solemnia O || 3 pereant N || 4 inachis V *m. 2*: ynachus (i *supra* u *m. 2*) F inachus D inacus V inacis N || 5 iam *Passeratius* || 6 Quaecumque O, *correxi*; Quaec. facit — facit *Lachmannus* Quocumque i. uenit — uenit *Sandstroemius* || 7 ocultis F N || 8 illicitas *uel* uetitas *Fonteinius* || 9 te hab. iuss. puell. D te iuss. puell. hab. F | Iuno] humo N || 11 Ha F Ah *ceteri*

Mansisti stabulis abdita pasta tuis!
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iuppiter, idcirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita uia est?
Quidue tibi prodest uiduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt,
Aut nos e nostra te, saeua, fugabimus urbe:
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quae nostro nimium pacata dolore es,
Noctibus his uacui ter faciamus iter.
Non audis, et uerba sinis mea ludere, cum iam
Flectant Icarii sidera tarda boues.

* * *

Lenta bibis: mediae nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
A pereat, quicumque meracas repperit uuas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas!
Icare Cecropiis merito iugulate colonis,
Pampineus nosti quam sit amarus odor.
Tuque o Eurytion uino Centaure peristi,
Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, uino corrumpitur aetas,
Vino saepe suum nescit amica uirum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo!

Var. lect. 13 Mandisti — arbuta *A. Palmer*; *post* Mansisti *Heinsius* et, *Lachmannus* ut *inseruere*; *equidem pro* abdita *malim* haud ita ‖ 14 Iupiter **F N** ‖ 15 egiptus **F** ‖ 16 est **D V**: *om.* **F N** ‖ 19 fugabimus *in* **F** *et* **V** *corr. m. 2*, **N**: fugauimus **O** ‖ 20 tyberi **D**, **V** *m. 1* ‖ 21 pacata *Marklandus*: placata **O** implacata *Heinsius* | dolori *Scaliger* ‖ 22 hiis **F** | perficiamus *Burmannus* ‖ 24 ycarii **F** ‖ 25 *sqq. aliunde huc inuectos statuo, cum quid Cynthiae bibosae descriptio in rem faciat non intellegam; quo panno recepto nonnulli uu. inter* 24 *et* 41 *periisse uidentur* ‖ 26 nondum **V** *m. 2*, **N**: nundum **O** | es **F** ‖ 27 Ha **F**, Ah *ceteri* | merachas **F** | reperit **N** ‖ 29 Ycare **F** | cicrop. **F N** ‖ 31 Tuque o, *ita* **O** (*nisi quod* q; o **F** *a m. 2*) Tu quoque o ς | euritio **F** euricio **N** ‖ 32 hismario **D** hysmario **V** | poliph. **F N** ‖ 35 nihil] **V** *mg. m. 2* non | es **F** | lieo **F N**

Iam bibe: formosa es: nil tibi uina nocent,
Cum tua praependent demissae in pocula sertae,
Et mea deducta carmina uoce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice.

* * *

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter:
Est quiddam, quod uos quaerere cogat Amor.
Semper in absentis felicior aestus amantes:
Eleuat assiduos copia longa uiros.

XXXIV.

Cur quisquam faciem dominae non credit amari?
Sic erepta mihi paene puella mea est.
Expertus dico: nemo est in amore fidelis,
Et formam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, soluit amicos
Et bene concordes tristia ad arma uocat.
Hunc per in hospitium Menelao uenit adulter,
Colchis et ignotum nocte secuta uirum est.

Test. 33, 37. Charisius p. 107, 25 K.: 'Serta neutro genere dicuntur . . . ., sed Propertius feminine extulit sic: tua — sertae'. hinc hausit auctor anonymus de dubiis nominibus [gramm. lat. K. V p. 590, 24, qui habet 'cum tua' eqs.]

Var. lect. 37 praependent **F N**, *Charisius*: perpendent **D V** | demissae — sertae *Charisius et* (*ex hoc interpolatus*) **N**: demissa — serta **O** ‖ 38 legit **F** ‖ 39 affuso *ut uid.* **F** | madet *et* phalerno **F** ‖ 42 uos **V** *corr.*, **N**: nos **O**; *num* quo nos*?* ‖ 43 absentes **D V N**

XXXIV. *Adhaeret superiori in* **O**, *separauere Itali* ‖ 1 quidquam **F**, *corr. mg. m. 2* | in faciem **D** | fatiem **N** | non credit **O**: iam credat **F** *m. 2*, **V** *m. 2*, **N** | amari **V** *m. 2*: amori **O** amico *Itali* ‖ 4 Et formam (*cf.* II 3, 32; 5, 28) **O**: Formosam **V** *mg. m. 2*, **N** ‖ 7 Hunc per *scripsi Misc. Crit. p.* 96: Hospes **O** Tros et *L. Muellerus* | menelaos (s *m. 2 suppunx.*) **V** menelao si **D** ‖ 8 nocte *scripsi*: nonne **O** (nonne — est*?* *uulgo*) sponte *Burmannus*

Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
  Perfide, nonne tuae tum cecidere manus?
Quid si non constans illa et tam certa fuisset?
  Possesne in tanto uiuere flagitio?
Tu mihi uel ferro pectus uel perde ueneno:
  A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium uitae, te corporis esse licebit;
  Te dominum admitto rebus, amice, meis:
Lecto te solum, lecto te deprecor uno:
  Riualem possum non ego ferre Iouem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
  Stultus, quod nullo saepe timore tremo.
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
  Errabant multo quod tua uerba mero.
Sed numquam uitae me fallet ruga seuerae:
  Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.

XXXIVb.

Lynceus ipse meus seros insanit amores:
  Solum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit aut rerum dicere posse uias?

Var. lect. 9 Tincen, **F**, *corr. mg. m. 2* Lincen **D V N** | tangere **O**: perfide **V** *m. 2*, **N** | c'a **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 10 Perfide **O**: tangere **V** *m. 2*, **N** | nō ne tue (*alt.* e *ex corr.*) **F** non et ue **N** ‖ 11 *fortasse* Quodsi, *posito post* fuisset *commate* ‖ 12 Possesne *Heinsius*: Posses et **D V** (et *del.* **V** *m. 2*, *unde* Posses **N**) Posset et **F** ‖ 14 modo] mihi *L. Muellerus* ‖ 15 socium **N**: sotium **O** ‖ 16 amitto **F** ‖ 19 quod] q; **F** *m. 1*; *unde malim* meae s. quae n. e. aemulor umbrae | ēmulor (mulor *m. 2*) **F** 20 quid **D**, **V** *m. 1*; qui ς | nullo *Heinsius*: stulto **O** ‖ 21 tanta remitto crimina est cur **N**, *litteris appos. corr.* ‖ 23 me fallet **O**: fallet me **N**

XXXIVb. *Adhaeret superiori in* **O**, *primus separauit Casp. Barthius* ‖ 25 Lincens **O** | seros **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: sacros **O** meos insanit serus *Broukhusius*, *similia alii* ‖ 26 Serum te *Bergkius* | lector (c *del. m. 2*) **F** ‖ 28 ducere **V** *mg. m. 2*

Aut quid nunc Tei tibi prosunt carmina lecta?
  Nil iuuat in magno noster amore senex.
Tu grauibus Musis meliorem imitere Philetam
  Et non inflati somnia Callimachi.
Iam cursus licet Aetoli referas Acheloi,
  Fluxerit ut magno tactus amore liquor,
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
  Errat et ipsa suas decipit unda uias,
Qualis et Adrasti fuerit uocalis Arion
  Tristia ad Archemori funera uictor equos.
Non nunc Amphiaraeae prosint tibi fata
  Quadrigae aut Capanei grata ruina Ioui;
Desine et Aeschyleo componere uerba cothurno,
  Desine et ad molles soluere membra choros:

Var. lect. 29 nunc Tei *scripsi*: crethei **O** erecthei **V** *mg. m. 2* erechti **N** Tyrtaei *Itali* Lucreti *Scaliger* Smyrnaei *Heinsius* et Aetnaei *Jacobus* Gargetti *Ungerus* epe Chii *L. Muellerus*; *cf. Prolegg.* ‖ 30 noster **D F**: uester **V N** ‖ 31 grauibus Musis meliorem *scripsi* (*cf. Prolegg.*): satius (saụtius **F** sacius **D V**) musis memorem **O** (memorem musis **V** *m. 2* **N** meliorem musis ς); satius Mimnermum aut Coum *Heinsius* satius musam leuiorem i. Philetae *Santenius* satius teneri lusus i. Philetae *Eldikius* Latiis tenerum Musis *Hoeufftius* Battus memorem Musis *Lachmannus* satius Meropem Musis *Jacobus itaque* (*sed* Latiis) *Bergkius* socius Musis Mimnermi *Hertzbergius* satius memorem lusus *Ungerus*; satius *suspectauit Schraderus* potius *proponens* | mittere **F** (īmittere *m. 2*) | philitam **D V** filitā **F** philitā **N** ‖ 32 inflati somnia ς: inflatis omnia **D F N** inflantis omnia **V** | calim. **F** ‖ 33 Iam ς, *Schneidewinus*: Nam **O** | cursus ς: rursus **O** | etholi **F** aetholi **D V** | acheloy **V** ‖ 34 Luxerit *Heinsius* | tactus *Heinsius*: factus **O** fractus ς ‖ 35 ut] in **V** | phrigio **F N** ‖ 36 respicit *Fonteinius* ‖ 37 adrastri **V** ad rastri **D** | uõlis **F**, *corr. mg. m. 2* | orion **F N** ‖ 38 Tristia *Heinsius*: Tristis **O** | aderchemori **F** | equos **O**: equus ς ‖ 39 nunc *addidi*: *om.* **O** magna *add. Lachmannus*; *duriorem qui uersum putant, transpositionibus indulgent* (*ut L. Muellerus*: non tibi quadrigae prosint fata Amphiareae) *haec illa simul mutantes* | amphiareae **D V** amphiaree (*supra alt.* a *m. 2* e, *et* a *supra prior.* e *pos.*) **F** amphiareṛae **N** | prosunt **F** | fata quadrigae *sic* **O**, *qui ab* Aut *u. seq. incohat* ‖ 40 capanei **O**: capanei magno **N** *uersus explendi causa* ‖ 41 et eschileo **D V**: et echileo (s *supra* ec. *m. 2*) **F** et aechileo **N** Achilleo *Scaliger* | coturno **F N** ‖ 42 a molles **F** *m. 1* | soluere membra *Heinsius*: membra resolue **O** | choros **V** *mg. m. 2*, **N**: thoros **F** toros **V** toro **D**

Incipe iam angusto uersus' compescere torno,
  Inque tuos ignes, dure poeta, ueni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
  Despicit et magnos recta puella deos.
Si non ante graui taurus subcumbit aratro,
  Cornua quam ualidis haeserit in laqueis,
Nec tu tam duros per te patieris amores:
  Trux animi a nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
  Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restabimus undas,
  Nec si consulto fulmina missa tonent.
Aspice me, cui parua domi fortuna relicta est,
  Nullus et antiquo Marte triumphus aui,
Ut regnem mixtas inter conuiua puellas
  Hoc ego, quo tibi nunc eleuor, ingenio.
Me iuuet hesternis positum languere corollis,
  Quem tetigit iactu certus ad ossa deus:
Actia Vergilio est custodis litora Phoebi,
  Caesaris et fortes dicere posse rates,
Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma
  Iactaque Lauinis moenia litoribus.

Var. lect. 43 angusto **V** *m. 2*, **N**: augusto **O** | compescere *scripsi*: componere **O** *e. u.* 41; includere **V** *mg. m. 2*, **N** (*unde* incudere *Diltheius*) | torno **V** *m. 2*, **N**: turno **O** ‖ 45 tucior ibis omero **N** | Antimachus — Homerus *Lachmannus*; Non, non Antimachus tu t. i. Homero *ego conieci Misc. Crit. p.* 96 | 46 *puto* certa puella | 47—50 *post* 54 *traiecit L. Muellerus*, 51—54 *post* 28 *Birtius mus. Rhen.* XXXII 411 (*ante* 51 *aliquid intercidisse puto*) ‖ 47 Si **O**: Sed **F** *m. 2*, **N** | graui ς: grauis **O** | subc. **D V**: succ. **F N** ‖ 48 in lacrimis **F**, *corr. mg. m. 2* | 49 iam **N** | patiere labores *Marklandus* ‖ 50 animi *scripsi*: tamen **O** | arte *Burmannus* ‖ 53 stigias **F N** | restabimus undas *Wassenbergius*: restabit erūpnas **F** restabit (*om. cet.*) **N** restauerit undas **D V**; *an* restabit et (= etiam) undas*?* restans erit *Lachmannus* aliquis sedet arbiter undas *Jacobus* (*unde* aliquid rest arbiter *Munro*) | 54 flumina **N** ‖ 55 est *om.* **F** ‖ 57 mistas **F** ‖ 58 quod tibi **D**, **V** *m. 1* ‖ 59 iuuat ς | hester nis **V** *mg. m. 2*: eternis **F** aeternum **D V** externis **F** *m. 2*, **N** ‖ 61 Vergilio est *scripsi*: uirgilio **O** uirgilium ς | lictora **F**

Cedite Romani scriptores, cedite Grai:
Nescio quid maius nascitur Iliade.

* * *

Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et adtritis Daphnin arundinibus,
Utque decem possint corrumpere mala puellas,
Missus et inpressis haedus ab uberibus.
Felix, qui uiles pomis mercaris amores!
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolae domini carpere delicias!
Quamuis ille sua lassus requiescat auena,
Laudatur facilis inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei ueteris praecepta poetae,
Quo seges in campo, quo uiret uua iugo.
Tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthius inpositis temperat articulis.

Test. 65, 66. Donatus in uita Vergilii: 'Aeneidos uixdum coeptae tanta extitit fama, ut Sextus Propertius non dubitauerit sic praedicare: cedite — Iliade'. — recepti sunt eidem uersus in codicis Salmasiani Anthologiam (Anth. lat. R. I 264).

Var. lect. 65 grai, *ita* **O** ‖ 66 quod **N** ‖ *ante* 67 *praeeunte Lachmanno lacunam significaui; uidetur una cum apta Vergilii adlocutione intercidisse talis fere sententia: neque tamen praeter grande tuum epos canendis amoribus uacare noluisti; ceterum et uu. seqq. grauiter turbati, in quorum difficultatibus tollendis post Heimreichium (qui totum Vergilii panegyricum spurium putauit) desudarunt et Heydenreichius de sententiis prolatis accurate agens (in libro* '*commentationes philologae. scrips. seminarii philol. r. Lipsiensis sodales*', *Lipsiae* 1874, *p.* 3 *sqq.*) *et Munro l. l.* ‖ 67 umbrosis **N** ‖ 68 Thyrsin **V** *m. 2*: Tirsin **D V** Tyrsin **N** Tirsim **F** | atritis **D**, **V** *m. 1* (attr. *m. 2*) | dapnin **F** daphuin **V** | harund. **N** ‖ 69 puellam *Itali* ‖ 70 inpraesis **N** impr. **D V** | hedus **F N** aedus **D V** ‖ 71 mercatur *Schraderus, quo accepto* uili pomo *Koppiersius* ‖ 72 Huic **V** *corr.*, **N**: Hinc **O** | ingrate **V** | titirus *ex* titnus *corr.* **F** titirus **N** | ipse **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*: ipsa **O** ‖ 73 in tactum **D F** | coridon **F V N** | alexim **O** (*praeter* **N**) ‖ 74 delitias **F** ‖ 76 hamadry. **V** *m. 2*: amadry. **D V** amadri. **F N** ‖ 78 seres **F** *m. 1* | una] herba **D** (*et* **V** *mg. m. 2*) ‖ 79 *inter* test. *et* quales *interpungunt* **D N** ‖ 80 imp. **D V** | teperat **N**

Non tamen haec ulli uenient ingrata legenti,
  Siue in amore rudis siue peritus erit.
Nec minor his animis, aut, si minor, ore canorus
  Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
  Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lasciui cantarunt scripta Catulli,
  Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calui,
  Cum caneret miserae funera Quintiliae.
Et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
  Mortuus inferna uulnera lauit aqua!
Cynthia quin etiam uersu laudata Properti,
  Hos inter si me ponere Fama uolet.

Var. lect. 81 legenti *ex* iuuenti *corr.* N *m. 1* ‖ 82 periturus N ‖ 83 his (hiis F), *ita* O | animi F | si *uulgo*: sim O nec se minor *Scaliger* nec segnior *Heynius*; *proposui Misc. Crit. p.* 98: Nec, minor hinc animis aut hinc minor ore, canorus *eqs.* | minor ore canorus *om.* N ‖ 84 Anseris N ‖ 85 laudabat D V ‖ 86 Varo V *m. 1* | leuchadię (h *m. 2 suppunxit*) V: laochodie F laochadiae D locadie N | flamma] cura V *mg. m. 2*; fama *Marklandus* ‖ 87 lasiui V *m. 1* | cantaret D | catuli F ‖ 88 quin V | elena F ‖ 91 quam O: qui ς; qui mulsa *Heinsius* qui inulta *Doruillius* qui flente *Marklandus* qui multa L. passus *Wakkerus* qui iussa (*scil. ab Augusto*) *Fonteinius*; *olim conieci* qui inusta | liquoride F N lichoride D V (*in hoc* h *m. 2 del.*)

SEX. PROPERTII ELEGIARUM

LIB. TERTIUS.

I.

Callimachi manes et Coi sacra Philetae,
  In uestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
  Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro?
  Quoue pede ingressi? quamue bibistis aquam?
A ualeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
  Exactus tenui pumice uersus eat,
Quo me Fama leuat terra sublimis, et a me
  Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parui uectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata uia.

VAR. LECT. Liber secundus explicit incipit liber tertius **F** Propertii Aurelii Nautae liber tertius incipit **D**; *sine titulo* **N V** ‖ 1 coi **V** *m. 2*, **N**: choi **O** | sacra *suspectum*; *synonymum uocis* manes *cum requiratur*, *conicio* fata (= umbra: *cf. Mela* II 2); *uaria proposuere* (et consors umbra Phil. *Fonteinius*) | philete **N**: philite **O** ‖ 3 puto **F** *m. 1* ‖ 4 Graia p. Italicos *Valckenarius* | orgia] oppida *Fonteinius* | coros **F** ‖ 5 quo *om.* **F** *m. 1* | tenuastis **F** *m. 2*, **N**: tenuistis **O** ‖ *inter* 6 *et* 7 *haud pauca intercidisse uidentur* ‖ 7 Ha **F**, Ah *ceteri* ‖ 9, 10, 11 leuet *et* triumphet *et* uectentur *Heinsius* ‖ 9 sublimen *Conr. Rossbergius* ‖ 10 Nota ς ‖ 11 currum **N** | nectantur **F** *m. 2* ‖ 13 inmissis *Auratus*

Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra uia.
Mollia, Pegasides, date uestro serta poetae:
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod uiuo detraxerit inuida turba,
Post obitum duplici fenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit maiora uetustas:
Maius ab exequiis nomen in ora uenit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,
Fluminaque Haemonio comminus isse uiro
Idaeum Simoenta Iouis cum prole Scamandro,
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis
Qualemcumque Parim uix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion et tu
Troia bis Oetaei numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Me quoque per seros laudabit Roma nepotes:
Illum post cineres auguror ipse diem.

Var. lect. 16 battra **F** | canant ς ‖ 17 de fonte ς ‖ 19 nostro **F** uestro date **V** *m.* 2 ‖ 21 detraxit **F** detraxerat **V** *m. 2* | inuidaa **N** ‖ 22 duplicei **N** | foenore **D V** | reddet **F** *m. 2*, **V** *m. 2*: reddit **O** (Ut mihi — reddat *Marklandus*) | honos ς: onus **O** ‖ 23 Omnia **O**: Fame **N** | ☰obitum **V** | uetustae **N** ‖ 24 hora **F** ‖ 25 ob regno **V** (*corr. mg. m. 2*) | artes **O**, *corr.* ς ‖ 26 Flumineaq; **F** | hemonio **F N**: emonio **D V** (ęm. *huius m. 2*) | cominus **O**, *corr.* **V** *m. 2* | isse uiro **V** (*et* **F** *mg. m. 2*): esse uiro **D N** ille raro **F** ‖ 27 Simoenta] **F** *mg. m. 2* ɨ simeunta | Iouis cum prole Scamandro *Gustauus Wolffius* (*Hauptii opusc.* II 56): iouis cunabula parui **O** iouis *omissis ceteris* **N** ‖ 29 Deiphobumque **D**, **V** *m. 2*: Deiphebumq; **F N**, **V** *m. 1* | puli (o *supra* u *m. 2*) lędamātes in armis **F** poliledamantes in armis **N** poli ydamātes in armis **D** pvl☰ydamātas (v *ex corr. m. 2*) in armis **V**, *corr. Lachmannus*; Polydamanta sub armis ς; *fuerunt qui* Pulyd. *formam praeferrent* ‖ 30 parim **O**: parī **N** | noscet **D V** (*in hoc corr. m. 2*) ‖ 31 non cilion **N** | ylion **F** ‖ 32 cete (cetei *m. 2*) **F** oete in **N** | numina **F** *m. 1* ‖ 33 memoratur **N** ‖ 35 Me quoque per seros *scripsi*: Meque inter seros **O** ‖ 36 augur. . . ipse deae **N**

Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
Prouisum est Lycio uota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem:
Gaudeat in solito tacta puella sono.

[II] Orphea delenisse feras et concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra:
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt:
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
Ad tua rorantes carmina flexit equos:
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro
Turba puellarum si mea uerba colit?
Quod non Taenareis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
Nec mea Phaeacas aequant pomaria siluas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites, et carmina cara legenti,
Nec defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo si qua es celebrata libello!
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.
Nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Iouis Elei caelum imitata domus,

Var. lect. 37 lapṣis N ‖ 38 promissum V *mg. m. 2* | est *om.* F | litio F licio N licyo V ‖ *a u.* 39 *nouam incohat elegiam* O (ad librum suum D V ad librum secundum F *inscribunt*) ‖ 40 in] ut V *m. 2* insolito N

[II.] *Hic uulgo nouum carmen* (O *ab* I 39); *omnia cohaerere uiderunt Muretus et Scaliger* ‖ 1 Horphea D, V *m. 1* | delinisse *Ayrmannus*: detenuisse F, V *m. 1* detinuisse V *m. 2*, N te tenuisse D ‖ 2 traitia F treicia N | su(b)stinuisse F N: detinuisse D V ‖ 3 citeronis D V (F *m. 2*): ciceronis F N | tebas F; Thebanam *Heinsius* Phoebeam *uir doctus Misc. Obss.* II 109 ‖ 4 in muri D V: īmineri F in numeri N ‖ 5 poliph. F | galathea O | etha F N (ethna F *m. 2*) ‖ 7 nostro et bacco et appoline F ‖ 9 Que F *m. 1* | tenareis O (r *supra* en F *m. 2*), tenariis ς ‖ 11 feacias F ph(a)eacias D N pheatias (phę. *m. 2*) V ‖ 12 marcius ς: martius O | antra] ante N; arua *Schraderus* ‖ 13 Ut D (At V *ita ut* A *ex corr. sit*) | comites *et* F *et* V *m. 2*: comiti F comitis D N V | cara O: grata ς ‖ 14 Nec *scripsi*: Et O (*om.* N) | coris F ‖ 15 Fortuna F | es ς: est O (*om.* V *m. 1*) | cantata V *mg. m. 2* ‖ 15 piram. F ‖ 18 olei F *m. 1* elaei D

Nec Mausolei diues fortuna sepulcri
  Mortis ab extrema condicione uacant.
Aut illis flamma aut imber subducet honores,
  Annorum aut ipso pondere uicta ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aeuo
  Excidet: ingenio stat sine morte decus.

III.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
  Bellorophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
  Tantum operis, neruis hiscere posse meis,
Paruaque iam magnis admoram fontibus ora,
  Unde pater sitiens Ennius ante bibit
Et cecinit Curios fratres et Horatia pila
  Regiaque Aemilia uecta tropaea rate
Victricesque moras Fabii pugnamque sinistram
  Cannensem et uersos ad pia uota deos
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
  Anseris et tutum uoce fuisse Iouem:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
  Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
'Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te

VAR. LECT. 19 sepulchri **N** ‖ 20 conditione **D F** | uacat **D V** ‖ 21 illi **D**, **V** *m. 1* | subducit **N** ‖ 22 Armorum **F** | haud **F** *m. 2* | ipso *Fontcinius et Santenius*: ictu **F N** ictus **D** ictu☰ **V** | pondere **D N V**: pondera **F** aut ictu aut pondere *Withofius* aut tacito pondere *Eldikius*

III. *Noua elegia in* **O** (somnium propertii **D V** tertium somnum propertii **F**) ‖ 2 Bellorofontaei **D** Bello‿rophontei **F** elloforontei (*om. litt. init.*) **N** Bellerofontęi **V** ‖ 4 dicere *Schraderus* ‖ 5 Pronaque *L. Muellerus* ‖ iam *Guyetus et Heinsius*: tam **O** ‖ 6 siciens **D** sciens **N** | emnius **F** *m. 1* | ibit **N** ‖ 7 cecini *Itali* | corios **N** | oratia **O** (*etiam* **N**) ‖ 8 milia **N** | tropęa **N**: trophea **O** ‖ 9 Victrices, *om.* que, **F** ‖ 10 uersos apia **N** ‖ 11 Hanib. **F** Annib. (A *ex corr.*) **V** | lares **F**: alacres **D V** (*sed in hoc* mq; a *ex corr. m. 2*) lacies **N** ‖ 13 febus **F** ‖ 14 uixus **F** *m. 1* (uissus **D** *mg. pro uar. lect.*)

Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt paruis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
Quem legat expectans sola puella uirum.
Cur tua praescripto seuecta est pagina gyro?
Non est ingenii cumba grauanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris: medio maxima turba mari est.'
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua noua muscoso semita facta solo est.
Hic erat adfixis uiridis spelunca lapillis,
Pendebantque cauis tympana pumicibus,
Organa Nysaei, et Sileni patris imago
Fictilis et calami, Pan Tegęaee, tui;
Et Veneris dominae uolucres, mea turba, columbae
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu;
Diuorseque nouem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus:
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina neruis
Aptat, et illa manu texit utraque rosam.

Var. lect. 17 hinc *Fruterius* | ulla *m. 1 ex* illa *corr.* **N** ‖ 19 Et *Fonteinius* | scaumo **F** ‖ 20 solla **V** ‖ 21 perscripto **N** | praescriptos euecta — gyros *Scaliger* deflectat *Fonteinius* | est *om.* **F** | giro **F**, *et ita ex* uiro *m. 1 corr.* **N** ‖ 22 cumba **F**: cimba *idem m. 2* cymba *ceteri* (turba **V** *mg. m. 2*) ‖ 23 harenas **N** ‖ 24 est *om.* **F** ‖ 26 Quo **N** ‖ 27 aff. **F** *solus* | speluncha **F** ‖ 28 timpa (*mg. m. 2* timpana) **F** tempora **D** *mg. pro uar. lect.* | pumic. *ex* pimic. *corr.* **F** ‖ 29 Organa *Eldikius*: Ergo **O** Plectraque *uel* Orgia *Heinsius* Illic *uel* Hic et *Francius* Circum *Keilius* | Nysaei (Nusaei) *scripsi*: musarum **O** mystarum *Ungerus* | cileni **V** *m. 1* (cylleni *m. 2*) | imago] **D** *mg. pro uar. lect. et* **V** *mg. m. 2* origo ‖ 30 pan tegeee **V** *m. 2*: pane tegeae **D** pan≡tegee **V** *m. 1* panetegee **F** pategeae **N** (*et* **V** *mg. m. 2*) ‖ 31 mea cura *Passeratius* sua turba *Lachmannus* ‖ 32 gorgoneo **F** *m. 2*, **N**, **V** *m. 2*: gorgonico **O** gorgonio ς | pumica **N** pu≡nica **V** | rostra **F** *m. 2*, **V** (*hic* r *ex corr.?*): nostra **D F N** ‖ 33 Diuerseque **F** Diuersęq; **N** Diuorsaeque **D V**, *correxi*; Et diuersa ς Dispersaeque (Diuisaeque) n. sortito rure *Fonteinius* | iura *Scaliger* ‖ 35 ederas **V** | in] et **D** | tyrsos **F** thysos **V** *m. 1* | uernis **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 36 Apta **N** *m. 1* | et **F**: at *ceteri*

E quarum numero me contigit una dearum
  (Ut reor a facie, Calliopea fuit):
'Contentus niueis semper uectabere cygnis,
  Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
  Flare nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
  Stent et Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Sueuo perfusus sanguine Rhenus
  Saucia maerenti corpora uectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes
  Nocturnaeque canes ebria signa fugae,
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
  Qui uolet austeros arte ferire uiros.'
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
  Ora Philetea nostra rigauit aqua.

IV.

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos
  Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna, uiri, merces. parat ultima terra triumphos:
  Tigris et Euphrates sub noua iura fluent,
Seres et Ausoniis uenient prouincia uirgis,

VAR. LECT. 37 contigit me **V** *m. 1* | sororum ς ‖ 38 fatię **N** ‖ 39 nectabere **F** *m. 1* | cygnis **D V**: cignis **F N** ‖ 41 Nec *Fruterius* Ne *Passeratius* | praeconia **N**: pr(a)econica **O** praetoria *Beroaldus*; *fortasse* praeconis ‖ 42 Flare *Fruterius*: Flere **O** | cingere **V**: tingere **D F** tinguere **N** ‖ 44 restigat **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 45 Sueuo *Itali*: saeuo **D V** seuo **F N** | rhenus **V** *m. 2*: rhoenus **D V** renus **F N** ‖ 46 Sautia **F** ‖ 47 coronatas **F** *m. 1* ‖ 48 signe **F** *m. 1* ‖ 49 clausas] cās **V** *mg. m. 2* | extaurare **F** *m. 1* ‖ 51 petiṣtis **N** ‖ 52 philitea **O** | ūra **F** *m. 1*

IV. *Noua elegia in* **O** (de triumpho Caesaris **D V** de triumpho quartum capitulum **F**) ‖ 2 gemif. **D** ‖ 3 uiri] uiae *Heinsius* ‖ 4 Tygris **N** | eufrates **O** | noua *scripsi*: tua **O** sua *Broukhusius* ‖ 5 Seres et *Ian. Gulielmius*: Sera ς; (= set) **F N** Sera seḍ **D V** | uenient *Heinsius*: ueniet **O** | prouintia **D V** | nugis **F**

Adcrescent Latio Partha tropaea Ioui.
Ite agite, expertae bello date lintea prorae,
Et solitum Armigeri ducite munus equos.
Omina fausta cano: Crassos clademque piate,
Ite et Romanae consulite historiae.
Mars pater et sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua uideam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad uulgi plausus saepe resistere equos,
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi et braccati militis arcus
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serua, Venus: hoc sit in aeuum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
Me sat erit Sacra plaudere posse Via.

[V] Pacis Amor deus est, pacem ueneramur amantes:
Sat mihi cum domina praelia dura mea.

Var. lect. 6 Adcrescent *scripsi*: Adsuescent **N** Assuescent **O** Adsurgent *Slothouwerus* Accedent *Fonteinius* | parta **F N** | tropea **N**: trophea **O** ‖ 7 date bello linthea **F** ‖ 8 Armigeri *scripsi*: armigeri *uulgo* (*hoc et* equi *retentis* discite *senior* sumite *iunior Burmannus* cludite *Jacobsius*) | equos *scripsi*: equi **O** ‖ 9 Omina **V**: Omnia **D** Omĩa **F N**, *ut saepius pro* Omnia | cladesque **D** (**V** clademque *ita ut* dem *ex corr. sit*) | piatae **D** ‖ 10 yst. **F** hyst. **N** ‖ 13 Quam **D V** | onerato — axe *Muretus* ‖ 14 *malim* Ac u. plausu ‖ 15 nixus *a mala interpolatoris manu esse uidetur, et certe suum obiectum flagitat illud* spectare, *unde* uinctos *Sterkius* nexos *H. Bosscha proposuere; mihi praeplacet* exuuias ‖ 16 titulus **F** *m. 1* | opida **N** ‖ 17 *et* 18 *ante* 15 *traiecit Keilius* ‖ 17 bracchati **D**, **V** *m. 1* ‖ 18 *constructioni contortae repetitionique uocis* captos *ingratae sic succurre* Captiuos subterque ‖ 19 prolem serua **O**: serua prolem **V** *m. 2*, **N** ‖ 21, 22 *post* V 6 *transponendos putat Heimreichius* ‖ 22 Me **O**: Mi ς | sacra **V** (*fort. in ras. m. 1*), **N**: media **D F**

[V.] *Noua hic in* **O** *elegia cum titulo* ad amicam iratam; *priori coniunxerunt Muretus et Scaliger, quod propterea probo quod in tota huius elegiae dispositione poetae nostro obuersatam esse puto primam Tibulli elegiam* (*cf. praesertim Tib.* 49 = *Prop.* IV 21, *Tib.* 77 *sq.* = *Prop.* V 47 *sqq.*) ‖ 1 est *om.* **F** *m. 1* ‖ 2 Sat *Liuineius*: Stant **O** *ex* 3, 44 Sint *Fonteinius*

Nec tale inuiso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit e gemma diuite nostra sitis,
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
  Nec mixta aera paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
  Ille parum caute pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non uidit in arte:
  Recta animi primum debuit esse uia.
Nunc maris in tantum uento iactamur, et hostem
  Quaerimus atque armis nectimus arma noua.
Haut ullas portabis opes Acherontis ad undas,
  Nudus at inferna, stulte, uehere rate.
Victor cum uictis pariter miscebitur umbris,
  Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes,
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro:
  Optima mors, carpta quae uenit apta die!
Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,
  Musarumque choris inplicuisse manus:
Me iuuat et multo mentem fulcire Lyaeo,
  Et caput in uerna semper habere rosa.
Atque ubi iam Venerem grauis interceperit aetas,
  Sparserit et nigras alba senecta comas,

VAR. LECT. 3 tale (*scil. ut bella cupiam*) *scripsi*: tamen **O** tantum *Lachmannus* | capitur **F** | mihi *om.* **V** *m. 1* ‖ 4 gemina **N** ‖ 6 mixta *Ruhnkenius*, *ego Misc. Crit. p.* 98: miser **O** | acra ϛ: ire **O** aere **N** | peto ϛ | clade **F** *m. 2*, **N**: pace **F** classe **D V** | chorinthe **O** (*alt.* h *del.* **V** *m. 2*) corinte **N** ‖ 7 frangenti **N** ‖ 8 caute **O**: cauti ϛ ‖ 9 in arce *Passeratius* inertem ϛ addidit arti *Heinsius* fudit in artus (artem) *Fonteinius* iudidit ante *uel* mendum non uidit in arte *ipse conieci* ‖ 11 in tantum] infandum ϛ in uasto uentis *Fonteinius*; *malim* (insanum!) iactatur **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 12 nectimus **F** *mg. m. 2*, **V N**: qu(a)erimus **D F** | ora **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 13 Haut **N**: Haud **O** ‖ 14 at inferna — rate *Schraderus*: ad infernas — rates **O** ab inferna — rate ϛ ‖ 15 miscebimur ϛ ‖ 16 captę **D** | iugurta **F** ‖ 17 Lidus **F N** | cresus **O**, *corr.* **V** *m. 2* | iro] **F** *mg. m. 2* hero; discat — abire **V** *mg. m. 2* 18 carpta *scripsi Misc. Crit. p.* 99: parca **O** (*nisi quod* parta *ex* parte *m. ead. corr.* **F** *m. 1*) tarda *Guyetus* propera *Heinsius* Parcae *Lachmannus* | apta **O**: acta **N** ‖ 19 helyc. **N** ‖ 20 coris **F** | impl. **D V** ‖ 21 iuuat **D V**: iuuet **F N** | fulcire *Fonteinius*: uincire **O** (*ex* uincere *m. ead.* **N** *corr.*) | lieo **F N** ‖ 24 Sparserit et nigras ϛ: Sparserit integras **D V** Sparsit et integras **F** Sparserit et integras **N**

Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua uenit exoriens, qua deficit, unde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit,
Unde salo superant uenti, quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde peremnis aqua,
Sit uentura dies, mundi quae subruat arcem,
Purpureus pluuias cur bibit arcus aquas,
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis,
Cur serus uersare boues et plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus,
Curue suos fines altum non exeat aequor,
Plenus et in partes quattuor annus eat,
Sub terris sint iura deum et tormenta Gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput,
Aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei,
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo iugera operta nouem,
An ficta in miseras descendit fabula gentis,
Et timor haut ultra quam rogus esse potest.
Exitus hic uitae superet mihi: uos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

Var. lect. 25 Tu **D** ‖ 28 luna] plena **N** ‖ 30 perhemnis **F**: perhennis **N** perennis **D V** ‖ 31 arcem (arem **F** *m. 1*) **O**: arces **V** *corr.*, **N** ‖ 33 perrhebi **V** *m. 2*: perhebi **D N V** perherebi **F** ‖ 34 atratis **N**: attractis **O** (*sed ut et in* **F** *et in* **V** c *a m. 2 suppunctum sit*) auratis **F** *mg. m. 2* ‖ 35 seros **N** | plaustra bootes **D V**: flamma (*per lineolam del. m. 2*) palustra **F** (*mg. m. 2* boothes) flamma boon **N** ‖ 36 Pelliadum **F**, *corr. mg. m. 2* | choit **F** | imbre *Heinsius* ‖ 37 Cur ne **F** ‖ 38 quatuor **O** iam quatr **V** *mg. m. 2* ‖ 39 sunt **V** *m. 2* | gigantum **F**: gygantum **D V**, *om.* **N** (*unde* nocentum *Hauptius*) ‖ 40 Tesiph. **F** Tesyph. **N** Thesiph. **D** Thisiph. **V** ‖ 41 alcmeoniae **V** *m. 2*, **N**: almeoni(a)e **O** | furte **F** *m. 1* ‖ 42 Non *ter* **N** ‖ 43 Non **N** ‖ 44 tinto **F** (titio *mg. m. 2*) | operta *scripsi l. l.*: pauca **O** ‖ 45 gentes **D V** ‖ 46 haut **N**: aut **O** ‖ 47 superet ς: superest **O**

VI.

Dic mihi de nostra, quae sentis, uera puella:
Sic tibi sint dominae, Lygdame, dempta iuga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
Haec referens, quae me credere uelle putas?
Omnis enim debet sine uano nuntius esse,
Maioremque timens seruus habere fidem.
Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Sicin eam incomptis uidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
11 Nec speculum strato uidisti, Lygdame, lecto?
14 Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?
13 Ac maestam teneris uestem pendere lacertis?
12 Ornabat niueas nullane gemma manus?
Tristis erat domus, et tristes sua pensa ministrae
Carpebant, medio nebat et ipsa loco,
Humidaque inpressa siccabat lumina lana,
Rettulit et querulo iurgia nostra sono?
'Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
Est poenae seruo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?

Var. lect. VI. *Noua elegia cum titulo* ad ligdamum *in* **O** ‖ 1 quaerenti uera *Hoeufftius et Wassenbergius* ‖ 2 Sic **F N**: Si **D V** | ligdame *ubique* **O** lydame *hic*, lygadame *ceteris locis* **N** (19 ligad.) | depta **N** ‖ 3 Num ς: Dum **O** Non **N** ‖ 5 sine uano nuntius (nuncius, n̄cius) esse **D**, **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: sine uanus esse **F** sine uanis esse relator **V** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*) ‖ 6 timens **O**: metu *Itali* | serus **N** ‖ 7 Non **N** ‖ 9 Sicin eam *ego* (Siccine eam *uulgo*): Sicut eam **O** Si cā (= causa) **N** ‖ 11 Nec **F N**: Haec **D V** | in strato *Heinsius* ‖ *uu.*, *qui sunt in* **O** 12 *et* 14, *locum inter se mutare iussit G. T. Suringar* ‖ 12 nulla ne **D N**: nulla ue **V**, **F** *m. 2* (nullas niueas ue *m. 1*) ‖ 13 Ac **O**: At ς An *Dousa fil.* | maestam] mestem **F** *m. 1* uestam **N** ‖ 17 impr. **D V** | laena *uel* palla *Heinsius* ‖ 18 Retulit **N** | quaerulo **D** ‖ 19 pene **F** pene̡ **N**; Nec poena est *Fonteinius* ‖ 21 fato ς pacto ς *Heinsius* (*sed est* nullo facto = nullo meo delicto: *cf. Lachm. ad Lucr. p.* 64)

Riualem nullam dicere habere domi?
Gaudet me uacuo solam tabescere lecto:
Si placet, insultet, Lygdame, morte mea!
Non me moribus illa, sed herbis inproba uicit:
Staminea rhombi ducitur ille rota;
Illum turgentis ranae portenta rubetae
Et lecta exectis anguibus ossa trahunt
Et strigis inuentae per busta iacentia plumae
Cinctaque funesto lanea uitta toro.
Si non uana canunt mea somnia, Lygdame, testor,
Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes,
Putris et in uacuo texetur aranea lecto,
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.'
Quae tibi si ueris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre uia
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta,
Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili inpositum torquerier igni
Iurabo, bis sex integer ecce dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
Extiterit, per me, Lygdame, liber eris.

VAR. LECT. 22 Riualem *Marklandus*: Aequalem **O** (*quod non defendit* III 8, 21) Et qualem **N** | nullam — domi *Heinsius*: nulla — domo **O** (nullo **N**); *puella riualis ut inferatur postulat u.* 25 illa; *uaria nilque proficientia coniecere* (Atque aliam nulla — domo *Hoeufftius*) ‖ 24 exultet *Heinsius* ‖ 25 impr. **D V** ‖ 26 rombi **V** *corr.*: rumbi **O** bombi **N** ‖ 27 tergentis **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 28 lectis **F** *m. 1* | exactis **F** (exsectis *m. 2*); ex seris ignibus *Heinsius* ex atris ign. *Marklandus* exstructis ign. *Lachmannus* ‖ 29 stygis **D** (strigis **V**, *sed ut* ri *fortasse ex corr. sit*) | tacentia *Palmerius*, *alii alia* | plummae **D V** ‖ 30 Vinctaque *Heinsius* | uitta **D V**: uicta **F** uita **N** | toro *Heinsius*: uiro **O** ‖ 31 cadunt **D** (**V** *mg. m. 2*) ‖ 36 Haec **D V** | cursu **D V** (*sed hic in* rursus *corr.*) | uiam **N** ‖ 39 consimili **F**: cum simili **D V** consuli **N** | impos. **D V** | torrerier *Palmerius* ‖ 40 Iurabo bis **O**: Iurabo et bis ς Iurabo hos bis *Lachmannus* | ecce *scripsi*: esse **O** ‖ 41 Quod **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: Quid **O** | mihi si **O**: nisi et **N** mihi si e tanto *Lachmannus* Quodsi e tanto *L. Muellerus*; *equidem pro* tanto *reposuerim* exacto *coll.* II 14, 3

VII.

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, uitae es!
Per te inmaturum mortis adimus iter.
Tu uitiis hominum crudelia pabula praebes:
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aeuo,
Et noua longinquis piscibus esca natat:
Et mater non iusta piae dare debita terrae,
Nec pote cognatos inter humare rogos,
Sed tua nunc uolucres adstant super ossa marinae,
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alueus ille uiros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito uincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Qua notat Argynnus poenam inhiantis aquae:

Var. lect. VII. *Noua elegia in* **D N V** (de morte pęti et malo auaritiae **D V**); *priori coniungit* **F**; *intactum reliqui uersuum ordinem quamquam ualde turbatum, quem restituere Scaliger et Guil. Canterus Nou. Lectt.* V 30 *conabantur*; *ego ipse Misc. Crit. p.* 99—103 *ita ordinaui*: 1—10; 43—66; 29—42; 21—24; 17, 18; 11, 12; 19, 20; 13—16; 67—70; 25—28 (*praeeunte Scaligero*); 71, 72 ‖ 1 es **D V** (**F** *m. 2*): *om.* **F N** ‖ 2 immat. **D V** ‖ 5 petum (*semper*) **F N** poetum **V** *semper*, *et sic* **D**, *qui hoc uno loco* pętum *habet* | farios **F** | linthea **F** ‖ 6 mary **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 11 astant **N** ‖ 12 est *om.* **F**, *add. m. 2* ‖ 13 orithie **F N**, **V** *m. 1* (orithyie *m. 2*) orythiae **D** ‖ 17 memoras *Schraderus* ‖ 18 tibi in ore est **N** | non pauet u. deos *Burmannus*; non fauet u. adeo *ego proposui* ‖ 19 saxa *num genuinum?* ‖ 20 deterto **F** | luncula **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 21 agamenonias **F** ‖ 22 Quae **V** | notat **O**: natat **F** *m. 2* nota ς | Argynnus *Waardenburgius*: argiunm **D V** arginni **F** agynni **N** argynni **V** *mg. m. 2* | poenam inhiantis aquae *scripsi*: poena minantis aquae **O**

Hic iuuene amisso classem non soluit Atrides,
Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positumque in gurgitis ora
Paetum sponte tua,- uilis harena, tegas:
Et quotiens Paeti transibit nauta sepulcrum,
Dicat 'et audaci tu timor esse potes.'
Ite, rates curuae, et leti praetexite causas:
Ista per humanas mors uenit acta manus.
Terra parum fuerat fatis: adiecimus undas,
Fortunae miseras auximus arte uias.
Ancora te teneat, quem non tenuere Penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est, quodcumque paras: haut ulla carina
Consenuit, fallit portus et ipse fidem.
Natura insidians pontum substrauit auaris:
Ut tibi succedat, uix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum uasto Graecia tracta salo est.
Palantum socium iacturam fleuit Ulixes,
In mare cui solum non ualuere doli.
Quod si contentus patrio boue uorteret agros

VAR. LECT. natantis **V** *mg. m. 2* poena minacis aquae *Lachmannus* Athamantiadae *Hertzbergius* Mimantis aquae *Ellisius*; *cf. et Schneidewinus Philol.* I 376 *sqq de toto loco* ‖ 23 Hic *Lachmannus*: Nec **O** Hoc **F** *m. 2*, **N**, **V** *corr.* | ammisso **D**, **V** *m. 1* ‖ 24 iphigenea **N** hypigenea **F** ‖ 25 homo *ex* humo **V** *m. 1* | positumque in gurgitis ora *scripsi*: positaque (posita est **N**) in gurgite uita **O** positumque in margine ripae *Marklandus* positumque in gurgite, Venti, *Lachmannus* ‖ 26 mollis *Marklandus* | arena **F** *idemque corr.* **V** *m. 2* | taegas **N** tegat **F** *m. 2* (sua — tegat ς) ‖ 27 sepulchrum **N** ‖ 29 Ire **N** | curu(a)e **O**: curuas *Passeratius* | praetexite *Guil. Fischerus*: texite **O** (terite **N**) contexite **V** *m. 2* curuae ite et l. texite ς ‖ 32 Naturae *Broukhusius, qui u.* 37 Fortuna *reponebat* ‖ 33 Anchora **D V** | quam *ex* quem *corr.* **F** ‖ 35 haut **N**: haud **O** ‖ 37 insidias ς (*quo accepto* ponto *Fonteinius*) | puntum **D**, **V** *m. 1* ‖ 39 triumphalis **V** | carpharea **N** capharia **V** *m. 2* | pupes **F N** ‖ 40 strata *Heinsius* rapta *Burmannus* ‖ 41 Palantum *Heinsius*: Paulatim **O** ‖ 41 socium **N**: sotium **O** ‖ 42 solum (*et* soliti) ς: soli **O** ‖ 43 O si *Lachmannus* | contentos **D F** | bene (bñ) **F**, *corr. mg. m. 2* | uorteret **D**: uerteret *ceteri*

Verbaque duxisset pondus habere mea,
Viueret ante suos dulcis conuiua Penates,
Pauper, at in terra nil nisi fleret opes.
Non tulit hoc Paetus, stridorem audire procellae
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed Thyio thalamo aut Oricia terebintho
Et fultum pluma uersicolore caput.
Huic fluctus uiuo radicitus abstulit ungues,
Et miser inuitam traxit hiatus aquam:
Hunc paruo ferri uidit nox inproba ligno.
Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querellis,
Cum moribunda niger clauderet ora liquor.
'Di maris Aegaei quos sunt penes aequora, uenti,
Et quaecumque meum degrauat unda caput,
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Attulimus longas in freta uestra manus.
A miser! alcyonum scopulis adfligar acutis,

VAR. LECT. 44 dixisset **F** *m. 1* ‖ 46 at **F N**: et **D V** | interea **F**, *corr. mg. m. 2* | nil nisi (nil flere nil nisi **V**) **O**: nil ubi **F** *corr.*, **N** (ubi ut nisi *m. 2 in* **V** *suprascr.*) | fleret opes *nunc scripsi*: flere potest **O**; *retento* ubi *coniecere* turbo potest *Jacobsius* flere potis *Lachmannus* flare potest *Jacobus* (flare *substantiue, sed nimis hoc ambiguum*) ubi, Caure, potes *Sandstroemius*; at infestum nil ubi flere potis *olim conieci* ‖ 47 hoc **F**: hunc **D V** haec **N** hic ς huic pectus *Scaliger* ‖ *ante* 49 *aliquot uu. intercidisse putat Keilius* ‖ 49 Thyio *Santenius apud Hoeufftium*: chio **O** (h *del.* **V** *m. 2*) Thyiae *Itali* | calamo **F** (ad calamum *m. 2*); Cnidio calamo *Lachmannus* | oricia ς: corythia **D V** (*huius m. 2* h *del.*) orythia **N** corinthia **F** | terebinto **F** ‖ 50 furtum prima uersicolere **F**, *corr. m. 2* ‖ 51 *et* 53 *sedem mutasse Guil. Fischerus perspexit* ‖ 51 Hinc fl. humo radiatus **F**, *corr. m. 2*; uiuos *Palmerius* ‖ 52 miser inuitam **O** (inuisam **F** *m. 2*, **V** *m. 2*, **N**); niger *Lipsius*; *puto* miseri multam | yatus **F** hyatus **N** ‖ 53 mox **F** *m. 1* | impr. **D V** ‖ 54 cohiere **F** ‖ 55 extremens **F** *m. 1* | querelis **O** ‖ 57 Di **N**: Dii **O** | egei **F N** aegei **D V** | Aegaei, et quos *J. H. Vossius* | aequora ponti *Scaliger* ‖ 58 quaecunquae **D** ‖ 59 *puto* Quor rapitis ‖ 60 An tulimus *Arntzenius*, At tulimus *ego* | longas *suspectum*; castas *uel* puras *Francius* lotas *Lipsius* sanctas *Waardenburgius et ego* | in uestra freta **F** (*sed corr. sign. appos.*) in freta longa **D** ‖ 61 Ha **F** Ah *ceteri* | alcionum **D V** alcinoum **F** halcyonum **V** *m. 2* | affligor (*sic*) **D V** affigar ς

In me caeruleo fuscina sumpta deo est.
At saltem Italiae regionibus euehat aestus:
Hoc de me sat erit si modo matris erit.'
Subtrahit haec fantem torta uertigine fluctus;
Ultima quae Paeto uoxque diesque fuit.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso subponere brachia mento:
Non poterat uestras ille grauare manus.
At tu, saeue Aquilo, numquam mea uela uidebis:
Ante fores dominae condar oportet iners.

VIII.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Cur furibunda mero mensam propellis, et in me
Proicis insana cymbia plena manu?
Tu uero nostros audax inuade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota,
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum ueri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore graui femina nulla dolet.
Quae mulier rabida iactat conuicia lingua
Et Veneris magnae uoluitur ante pedes,

Var. lect. 63 eueat **F** *m. 1*, **N** aduehat ς || 65 Subtrait **F** || 66 uoxque **V** *corr.*, **N**: noxque **O** || 68 tacta **V** *m. 2*: tracta **O** fracta *Heinsius* | thetis **F** *m. 2*, **N**: pedis **D F** (tet$\stackrel{h}{\equiv}$is *totum in rasura* **V**) Theti *Itali* || 69 lapso **V** *m. 2* | supp. **D V** | bracchia **D V** (*in hoc* c *m. 2 suppuncta*) || 71 ueḷla **V** || 72 condat **F** | inaers **V**

VIII. *Noua elegia in* **N**: *cohaeret priori in* **O** || 1 hesternas **F N**: externas **D V** || 3 Cur] Cum *Itali* Dum *Broukhusius* || 4 irata *Burmannus probabiliter* | cimbia **F** || 7 mutare **F** *m. 1* | exc̣urere **F** || 8 recisṣo pectore **F** || 11 rabida *Scaliger*: grauida **O** | conuitia **F**

Custodum grege non circa se stipat euntem,
Sed sequitur medias, Maenas ut icta, uias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent
Seu miseram in tabula picta puella mouet:
His ego tormentis animi sum uerus aruspex,
Has didici certo saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria uersat.
Hostibus eueniat lenta puella meis!
In morso aequales uideant mea uulnera collo:
Me doceat liuor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere uolo aut audire dolentem,
Siue meas lacrimas siue uidere tuas.

*

*   *

Tecta superciliis si quando uerba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego, quoi numquam pungunt suspiria somnos:
Semper in irata pallidus esse uelim.
Dulcior ignis erat Paridi, quom Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum uincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum aut pro te mihi cum riualibus arma

Var. lect. 13 Custodem **D V**, *quod Lachmanni coniecturae* Custodum et *fauet* | grege non circa se stipat *scripsi Misc. Crit. p.* 104: gregibus circa se stipat **O** gregibus seu cum se stipat *Muretus* gregibus circa seu st. *Lachmannus* gregibus seu se non st. *Fonteinius*; *an* gregibus circa hau se st. *?* ‖ 14 Sed *Fonteinius*, *ego*: Seu **O** | icta **O**: acta ς ‖ 16 miserum **D V** | *puto* picta pericla mouent ‖ 17 ergo **F** ‖ 18 Has **F** *m. 2*, **V** *ex corr.*, **N**: Nam **O** ‖ 19 iuria, in *supra lin. add.*, **F** iniurgia **N** | uertat **F** ‖ 21 In morso **O**: Immorso *Itali* | uideat **D** (uideāt **V** *ita ut lineola fortasse a m. 2 sit*) ‖ *ante* 24 *auctore L. Muellero lacunae signa posui* (25, 26 *quid hic sibi uellent iam Guyetus non intellexit*, *Burmannus Lachmannusque aliunde inlatos putabant*; *cohaerere cum superioribus*, *si u.* 24 meas *et* tuas *inter se transponantur*, *censet Sandstroemius*) 27 Audi **F**, *corr. mg. m. 2* | quoi *scripsi*: que *uel* quae **O** quos **F** *mg. m. 2* quum ς ‖ 28 irata **N**: iratam **O** ‖ 29 quom *ego*: quo **D V** cum **F N** (**V** *mg. m. 2 et* **D** *mg. pro uar. lect.*) | Graia *Fruterius*: grata **O** | 30 Tind. **F N V** ‖ 31 Dardanus *Heinsius* feruidus *Fonteinius* ‖ 32 Martia bella *Burmannus*

Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est aeque formosa: doleres,
Si qua foret: nunc sis iure superba licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer aeternum, nec sine matre domus!
Cui nunc si qua data est furandae copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica, dedit.

IX.

Maecenas eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam uastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia uela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Palma nec ex aequo ducitur una iugo.
Gloria Lysippo est animose fingere signa,
Exactis Calamis se mihi iactat equis,
In Veneris tabula summam sibi poscit Apelles,
Parrhasius parua uindicat arte locum,

Test. 8, 37. Priscianus p. 902 [gramm. lat. K. II p. 536]: 'similiter necto nexui et nexi . . . . Propertius: At tibi — lecto', unde apud Diomedem p. 369, 21 K. emendandum esse 'Maecenas * * * ⟨Propertius⟩: nexisti retia lecto' intellexit Lachmannus.

Var. lect. 34 in te **F N** (**V** *mg. m. 2*): uitae **D V** ‖ 37 nexisti *Priscianus et Diomedes*: tendisti **O** | rec̣tia **F** ‖ 38 ec̣ternum **F** ‖ 40 Offensa ς: Offensam **O** | illa mihi] illā **F**, *corr. mg. m. 2*

IX. *Noua elegia cum titulo* ad m(a)ecenatem *in* **O** ‖ 2 Intra **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: Inter **O** Infra *Liuineius* | tua **D**, *et* **V** *fort. m. 1* ‖ 5 quod ue nequeas (*sed* ue *expunct.*) **F** | capti **F** *m. 1* ‖ 6 pessum ς ‖ 8 Palma ς: Flamma **O** (Flamina **D**) Fama *Lipsius* | una ς: ulla **O** | iugo **O**: rogo **F** *mg. m. 2* ‖ 9 lisippo **F V** | animose (*uel* -so) fingere *scripsi*: animosa fingere **O** animosa effingere **N** *interpolate* ‖ 10 Calamis *Itali*: calamus **O** ‖ 11 poscit **D N V**: posita **F** (*idem et* **V** *mg. m. 2* ponit) | appelles **F** ‖ 12 Parrhasius **N**: Parrasius **O** | propria *Pontanus* pulcri *Fonteinius* | iocum *Lachmannus*

Argumenta magis sunt Mentoris addita formae,
At Muos exiguum flectit acanthus iter,
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno,
Praxitelem Paria uindicat urbe lapis.
Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae,
Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis.
Naturae sequitur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, uitae praecepta recepi,
Cogor et exemplis te superare tuis.
Cum tibi Romano dominas in honore secures
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hastas
Atque onerare tuam fixa per arma domum,
Et tibi ad effectum uires det Caesar et omni
Tempore tam faciles insinuentur opes,
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
Iudicia, et uenies tu quoque in ora uirum,
Caesaris et famae uestigia iuncta tenebis:
Maecenatis erunt uera tropaea fides.
Non ego uelifera tumidum mare findo carina,
Tota sed exiguo flumine nostra mora est.

VAR. LECT. 13 Ornamenta manus sunt *Fonteinius* ‖ 14 At ς: Ad **O** | Myos *Itali* (Muos *L. Muellerus*): nuros **O** muros **N** miros **D** *mg. pro uar. lect.* | a cantus **F** achantus **D N V** ‖ 15 *corruptus* (armat ς); Phiadiaca ars signo te *Lachmannus* | iupiter **F N** ‖ 16 Praxitelem **D V**: Praxitelon **F** Praxitelen **N** | Paria *Broukhusius*: propria **O** Parius *iam Itali* ‖ 17 elee **F** aelęę **N** aeleae **D V** | concurrunt **V**; consurgit *coni. Fonteinius* ‖ 19 satis **F** *m. 1* ‖ 20 sequi☰tur (*in ras.* ıę) **N**; sequimur *Broukhusius* ‖ 21 Et **F** *m. 1* (*unde* Haec *conieci*) | recepti **N** ‖ 22 Conor *Broukhusius* | me superare *Burmannus* | meis **N** *m. 2 suprascr.* ‖ 23 sequentes **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 24 promere iura *Ruhnkenius* ‖ 25 hastas *Marklandus*: hostes **O** arcus *Janus Heluetius* astus *Lachmannus* | onerare **V** *m. 2* onaerare **N**: honerare **O** honorare **F** *m. 2* ornare *Dempsterus* | parma **V** ‖ 27 dat **V** *m. 2* ‖ 28 insinuetur **V** *m. 2* ‖ 30 contrahis *Heinsius* ‖ 33 uicta **N** ‖ 34 trophea **O** ‖ 35 *om.* **N** ‖ 36 Tuta ς | sed *scripsi*: sub **O** (*quo retento* flamine *Maduigius*; *at recte comparant Ouid. Trist.* II 329) | flumine **N**: ẹflumine **F** e flumine **D** ☰flumine

Non flebo in cineres arcem sedisse paternam
  Cadmi, nec septem praelia clade pari,
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces,
  Et Danaum decimo uere redisse rates,
Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
  Victor Palladiae ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos
  Et cecinisse modis, clare Phileta, tuis.
Haec urant pueros, haec urant scripta puellas,
  Meque deum clament et mihi sacra ferant.
Te duce uel Iouis arma canam caeloque minantem
  Coeum et Phlegraeis Eurymedonta iugis,
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
  Ordiar et caeso moenia firma Remo,
Eductosque pares siluestri ex ubere reges,
  Crescet et ingenium sub tua iussa meum,
Prosequar et currus utroque ab litore ouantes,
  Parthorum astutae tela remissa fugae,
Castraque Pelusi Romano subruta ferro
  Antonique graues in sua fata manus.

Var. lect. (*fort.* e *erasa*) **V** (*omnes* mora est), *unde conicias* est flumine — mora *genuinum esse*, est *correctionis causa in margine posito* (est flumine — ratis ς *aperta interpolatione*) ‖ 37 Non phebo **N** | sidisse *Heinsius* | paternam *idem*: paternos **O** ‖ 38 septem *Lipsius*: semper **O** fratrum *Marklandus* ‖ 39 sceas **D F** | artes *Broukhusius* ‖ 40 undecimo *idem* ‖ 42 artis opus **D** (*mg. pro uar. lect.* equus) ‖ 43 *malim* Mi per ‖ 44 clare *Ayrmannus*: dure **O** Coe *Beroaldus* pure *Scaliger* Dore *Scriuerius* | Phileta *quis primus scripserit incertum*: poeta **O** (dure poeta *ex* II 34, 44 *irrepsisse apparet*) Eurypylita *Ungerus*; *ad* Philetă *cf.* II 14, 1 Atrida *et C. I. L.* V 2577 Phileta *nominatiuus* (*Neue*, *lat. Form.* I 38 *ed. sec.*) ‖ urant — urant *Itali*: curant — curant **O** curent ς ‖ 47 celiq; **F** ‖ 48 Ceum **D F** Cęum **N V** | flegreis **O** | Eurymedonta *Huschkius*: oromodonta **D V** oromodunta **N** orodomonta **F** ‖ 49 Celsaue *Lachmannus* ‖ 51 *puto* ferae siluestres ubere reges ‖ 52 *parenthesis signis inclusus fortasse cum u.* 50 *locum debet mutare*, *ut primo fratrum educatio*, *deinde Remi mors commemoretur* | *malim* per tua iussa ‖ 53 amantes **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 54 Partorum **F** | ac tutae *praeter alia Heinsius* ‖ 55 Claustraque *Palmerius et Lipsius* | pelusii **O** (pel'itii **F**, *mg. m. 2* pelusi) | subrota **F** *m. 1* ‖ 56 Antoniique **O**, *alt.* i *in* **V** *del. m. 2*

Mollis tu coeptae fautor cape lora iuuentae
  Dexteraque inmissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est,
  Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

X.

Mirabar, quidnam misissent mane Camenae,
  Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostrae signum misere puellae
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aere uenti,
  Ponat et in sicco molliter unda minax.
Aspiciam nullos hodierna luce dolentes,
  Et Niobae lacrimas supprimat ipse lapis,
Alcyonum positis requiescant ora querellis,
  Increpet absumptum nec sua mater Itym.
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
  Surge et poscentes iusta precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
  Et nitidas presso pollice finge comas;
Dein, qua primum oculos cepisti ueste Properti,
  Indue nec uacuum flore relinque caput;
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma peremnis,

VAR. LECT. 57 Mollia *Broukhusius* | cept(a)e **F N** caeptae **D V**; *malim* incertae (*siue* Mollis et incertae) | faustor **F** factor **N** ‖ 58 imm. **D** ‖ 59, 60 *Lachmannus ante* 47 *transponi uoluit.*

X. *Noua elegia cum titulo* de niobe *in* **O** ‖ 2 thorum **F N** ‖ 3 misere **N**: miserere **O** (misere≡≡ **V**) ‖ 6 Ponet **F** *m. 1*, **N** | minax **O**: minas **F** *m. 2*, **V** *m. 2* (*sed* Ponat *pro* se ponat *accipe*) ‖ 8 niobe **O** niobes **V** *corr.* (*idem mg.* at niobe) | ipsa suas **V** *mg. m. 2* ‖ 9 Alcion. **D N V** Altion. **F** Halcyon. **V** *m. 2* | querelis **O** ‖ 10 absumptum, b *suppuncta m. 2 in* **V** | itim **O** ‖ 12 poscendos *Lachmannus* | praecare **D** ‖ 13 descute **F** *m. 1* distute **V** | limpha **F** ‖ 14 praesso **D** ‖ 15 Dein qua **F** *mg. m. 2*, **V** *m. 2*, **N**: Deniq; **F** Te qua **D** (*idem mg. pro uar. lect.* Denique) De (*ex* Te ?) qua **V** ‖ 17, 18 *om.* **N** ‖ 17 quaș **F** | polles **F** *m. 2*, **V** *ex corr.*: pelles **O** | perhēnis **F** perennis **D V**

Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaueris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo,
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino naris murreus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiae libera uerba tuae,
Dulciaque ingratos adimant conuiuia somnos,
Publica uicinae perstrepat aura uiae.
Sit sors et nobis talorum interprete iactu,
Quem grauius pennis uerberet ille puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus,
Annua soluamus thalamo sollemnia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

XI.

Quid mirare, meam si uersat femina uitam
Et trahit addictum sub sua iura uirum,
Criminaque ignaui capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere uincla iugo?
Venturam melius praesagit nauita noctem,

Var. lect. 19 ubi **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: tibi **O** | thure **D**, **V** *m. 2* ‖ 20 Auserit **F** *m. 1* ‖ 21 Sic **D**, **V** *m. 1* | uoxque **D V** (*huius mg. m. 2* mox *et* nox) | curat **D**, **V** *m. 1*; *aliud latere uidetur, cum* nox *propter u.* 23 *parum placeat* ‖ 22 croci nonaris **D V** crotim nonaris **F** (crotim **D** *mg. pro uar. lect.*) crocynonaris **N** crocino nares **V** *mg. m. 2*; crines *coni. Heinsius* | mureus **O** murreus **N** myrrheus **V** *mg. m. 2* | onix **O** (ouix **F** *m. 1*) ‖ 23 Tybia **F N** | rauca **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: pauca **O** | coreis **F** ‖ 24 nequiciae **D V** ‖ 25 que *om.* **N** | conuicia *Broukhusius* ‖ 26 perstrepet **O** (*etiam* **N**), *corr.* **F** *m. 2* | aura, *ita* **O** ‖ 27 uobis **F** | interpretre tactu **F** ‖ 28 grauius *Beroaldus*: grauibus **O** ‖ 29 terenctibus **F** ‖ 30 instituit **F** ‖ 31 thalamo et solemnia **O**, et *del.* **V** *m. 2*, *unde* thalamo sollēpnia **N**; *fortasse* thal. en soll. ‖ 32 sic **O**: ter **V** *mg. m. 2*

XI. *Noua elegia cum titulo* de imperiis feminarum (contra *add.* **F**) *in* **O** ‖ 4 Que **F** *m. 1* ‖ 5 melius] uetulus *Marklandus* pauidus *Lachmannus* expertus *ego* | noctem **F** *mg. m. 2*, **V** *mg. m. 2*: mortem **O**

Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita iactaui uerba iuuenta:
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantis adamantina sub iuga tauros
Egit et armigera praelia seuit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam obpugnare sagittis
Iniectis Danaum Penthesilea rates;
Aurea quoi postquam nudauit cassida frontem,
Vicit uictorem candida forma uirum.
Omphale in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in aduersum missi per moenia currus

Test. 11, 15. Charisius p. 103, 15 K.: 'multi cassidam dicunt, ut Propertius: aurea — frontem.' cf. et auctor de dub. nom. [gramm. lat. V, 576, 22].

Var. lect. 7 egro **F** ‖ 10 saeuit **D** ‖ 11 Custodisq; *ex* -ditque *m. ead. corr.* **F** | fexos **F**, *corr. m. 2* (*ead. mg.* al. fessos) ‖ 12 exonias **D** ęsonias, s *ex corr.*, **V** ‖ 13 ferax **F** | ꝯ̄ (*mg. m. 2* quondam) **F** | obp. **N**: opp. **O** | sagiptis **F** ‖ 14 Iniectis **O**: Meotis **F** *mg. m. 2*, **N** | panthes. **D V** pentes. **F N** ‖ 15 quoi *ego*: qui **O** cui **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N** ‖ 16 *puto* candida uirgo uirum ‖ *post* 16 *unius lineae interstitium cum titulo* de omphale *in* **F** ‖ 17 Omphaliae **D** Omphale (e *ex corr.*) **V**, *quod faueret Schraderi commento* Omphalie, *modo de hac forma aliunde constaret*; Omphale et in ς; *Heinsio* Omphale *ex glossemate irrepsisse est uisum*; *puto* Egregiae in tantum ‖ 18 Lidea **F** (i *supra* e *m. 2*) Lidia **N** | gigea (o *supra* a *m. 2*) **F** gygeo *ceteri* ‖ 19 colūpnas **F N** ‖ 20 dura *ex* dira *m. ead. corr.* **N** ‖ *post* 20 *interstitium in* **O** (*non in* **N**), *in quo* de semirami (-my **F**) **F D** (*hic mg.* haec aelegia potest continuari praecedenti) *habent*, **V** *autem*: continuantur haec carmina cum sequentibus. de semirami ‖ 21 statuit] posuit *Schraderus* | babil. **F** ‖ *ante* 22 *duo uersus intercidisse uidentur* | cingeret *Fonteinius* | agere **F**, *corr. m. 2* (*ead. mg.* latere) ‖ 23 duo] dn̄o **N** | missi **O**: misit *Itali* immissi *Dousa* | permenia **O**

Ne possent tacto stringere ab axe latus,
Duxit et Euphratem medium, quam condidit, arcis,
Iussit et imperio subdere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina diuos?
Iuppiter infamat seque suamque domum.
Quid, modo quae nostris obprobria uexerat armis
Et famulos inter femina trita suos?
Coniugii obsceni pretium Romana poposcit
Moenia et addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandria, dolis aptissima tellus,
Et totiens nostro Memphi cruenta malo!
35 Haec tibi, Pompei, detraxit harena triumphos
40 (Una Philippeo sanguine adusta nota):
37 Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
38 Vel tua si socero colla daturus eras.
39 Scilicet incesti meretrix regina Canopi
36 (Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam!)
41 Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi,
Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
Iura dare et statuas inter et arma Mari!

Var. lect. 24 Nec **F N** ‖ 25 Ducit **F** | euphratē **N**: eufratem **0** | quam **0**: qua **F** *m. 2 mg.*, **V** *corr.*, **N** | arcis *scripsi*: arces **0** (artes **F** *m. 1*) arci *Heinsius* ‖ 26 Iubsit **F** *m. 1* | subdere *Burmannus senior*: surgere | battra **F** ‖ 27 crimina **V** *m. 2*: crimine **0** ‖ 28 Iupiter **F N** ‖ 29 *malim* modo qui, *ad Antonium ut haec referantur* | opprob. **D V** | uexerat ς: uexerit **0** ‖ 30 Heu *Liuineius* Ut *Heinsius* ‖ 33 Coniugii *Passeratius*: Coniugis **0** Coniugi et *Lachmannus* | obsceni≡ (*erasa* s) **N** ‖ 32 additos **F** *m. 1* ‖ 33 alexandrina **V** *m. 2* ‖ 35 Hec tibi **F**: Tres ubi **D V N** (Tres **F** *m. 2*) | Pompei *scripsi*: pompeio **0** | arena **F**, **V** *m. 2* ‖ *uu. qui sunt in* **0** 36 *et* 40 *locum inter se mutare iussit Lachmannus*, *quem secutus sum aliter tamen interpungens* ‖ 37 flegręo **V** flegreo **D N** flegeo **F** ‖ *post* 38 *noua in* **F** *elegia cum titulo* de cleopatra | 40 sanguini **V** *m. 2* ‖ 42 tyberim **V** *m. 1* ‖ 44 Bandos **F** *m. 1* | contis **F N** (**V** *mg. m. 2*): cunctis **D V** ‖ 45 canopeia **0** canopia **V** *m. 2* conopea *Beroaldus* ‖ 46 Iure **F** *m. 1* | dare statuas **0**, et *add.* ς | inter et] niteret **F**

Quid nunc Tarquinii fractas iuuat esse secures,
Nomine quem simili uita superba notat,
Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longum Augusto salua precare diem.

*
* *

Fugisti tamen in timidi uaga flumina Nili,
Accepere tuae Romula uincla manus.
Brachia spectaui sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi ciue uerenda
Et ducis assiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas?
Hannibalis spolia et uicti monumenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes,

*
* *

Curtius expletis statuit monumenta lacunis,
Ac Decius misso praelia rupit equo,
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Est cui cognomen coruus habere dedit.
Haec di condiderunt, haec di quoque moenia seruant:
Vix timeat saluo Caesare Roma Iouem.

Var. lect. 47 tarquinii **D V**: tarquini **F N** ‖ 48 Omine **D** (*idem mg.* at Nomine) | q; **N** | notat **F N** (**V** *mg. m. 2*): uocat **D V** ‖ *inter* 50 *et* 51 *lacunae signa posui* | 51 timida **F**; tumidi **F** *m. 2* **V** *m. 2* | uaga **D V**: uada **F N** ‖ 53 Bracchia **D F**, **V** *m. 1* ‖ 54 ocultum **F N** ‖ 55 haec ς: hoc **O** | fuit **O**: fui ς (*quod qui retinent, haec uerba Cleopatrae uindicant*) ‖ 56 Et ducis *D. Heinsius*: Dixit et **O** Nec ducis *Passeratius* | 58 *om.* **N** | timuit *om.* **F**, *add. mg. m. 2* | territe **F** *m. 1* | in arte **D**, **V** *m. 1* ‖ 59 Hanib. **F** Annib. **V** *m. 2* | monimenta **N** | siphacis **D F**, **V** *m. 2* ‖ 60 pirthi (pirry *suprascr. m. 2*) **F** pyrri **N** | facta **V** *m. 1* ‖ *post* 60 *lacunae signa posuit L. Muellerus* ‖ 61 Curtius **F** *mg. m. 2*, **V** *m. 2*: Durius **D F** Curius (C *ex corr. ?*) **V**, **N** | monimenta **N**; lamenta *Hauptius opusc.* III 209 | laciuus **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 62 Ac **D V**: At **F N** (**V** *m. 2*) ‖ 63 Collitis **F** (*corr. mg. m. 2*) Colclitis **N** Coclitis, c *ex corr.*, **V** | abscisos **F** adscisos **N** ‖ 64 Est *Puccius*, *Broukhusius*: Et **O** ‖ 65 dii — dii **O** | condiderant **O**, *corr. Liuineius* | quoque *om.* **F**

Nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli,
Aut modo Pompeia, Bosphore capta, manu?
Leucadius uersas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit una dies.
At tu, siue petes portus seu, nauita, linques,
Caesaris in toto sis memor Ionio.

XII.

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne facias Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis auari,
Et quisquis fido praetulit arma toro!
Tu tamen iniecta tectus, uesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne uirtus fiat amara tibi,
Neue tua Medae laetentur caede sagittae,
Ferreus aurato neu cataphractus equo;
Neue aliquid de te flendum referatur in urna,
Si redient, illis qui cecidere locis.

VAR. LECT. 67 *et* 68 *post* 58 *posuerunt Passeratius aliique, post* 46 *Lachmannus*; 57, 58, *tum* 67, 68, *porro* 59—64 *copulatos inter* 46 *et* 47 *collocat Waardenburgius*; *mihi* 67—70 *post* 50 *collocandi uidentur*, *ut tamen alteros quattuor uu. ante* 51 *periisse putem* ‖ 68 modo] ubi **F** | bosphore **D N** (**F** *mg. m. 2*) hospore **F** bosphora **V** (a *ex corr. ?*) ‖ 70 subst. **F** ‖ 72 in tuto *Francius*; intrato *ego conieci*

XII. *Noua elegia cum tit.* ad postumum de galla *in* **O** ‖ 3 illa ς ‖ 4 facias **O**: faceres **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N** ‖ 5 pereantur **F** (*mg. m. 2* c'. perimantur) ‖ 6 thoro **F N** ‖ 7 iniecta *uulgo*: intecta **O** (in tecta **D**) in- terea ς ‖ 8 fexus **F** ‖ 9 quiddam **F** *m. 1* ‖ 10 tua] **V** *mg. m. 2* utinam | sibi ς | mede lętentur **F** *m. 2* męde letentur **N**: me delectentur **F** med(a)e latentur **D V** | sagipte **F** *m. 1* ‖ 12 Sericus *Marklandus* | aerato *uel* armato *Heinsius* | cataphractus **D**, **F** *m. 2*, **V** *corr.* (*alt.* a *in ras. et* ct *ex* tt *corr.*): catophratus **F N** ‖ 14 Si redient (*uel* redeunt) *scripsi*: Si credent **O** Si credunt **N** Sic redeunt **V** *m. 2 corr.* | quae **D** (qui **V** *ita ut* i *ex corr. sit*)

Ter quater in casta felix o Postume Galla,
  Moribus his alia coniuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
  Cum sit luxuriae Roma magistra suae?
Sed securus eas: Gallam non munera uincent,
  Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die saluum te fata remittent,
  Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Ulixes.
  Non illi longae tot nocuere morae,
Castra decem annorum, et Ciconum domus Ismara capta,
  Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae,
Et Circae fraudes, lotosque herbaeque tenaces,
  Scyllaque et alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis ueribus mugisse iuuencos
  (Pauerat hos Phoebo filia Lampetie),
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
  Totque hiemis noctes totque natasse dies,
Nigrantisque domos animarum intrasse silentum,
  Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et ueteres arcus leto renouasse procorum,
  Errorisque sui sic statuisse modum:
Nec frustra, quia casta domi persederat uxor.
  Vincit Penelopes Aelia Galla fidem.

Var. lect. 15 castra F ‖ 17 fatiet N ‖ 18 suae ς: tuae O ‖ 21 sanum F (D *mg. pro uar. lect.*) ‖ 25 domus *scripsi*: mons O mors ς manus *Fonteinius* domita *Eldikius* Mars *L. Muellerus* | hismara D V | capta *Fonteinius*: calpe F N talpe D V (F *m. 2*) Cacre *Santenius* clade *Eldikius* ‖ 26 mox] trux *Marklandus* nox *Higtius* ‖ 27 circe O (cure F *m. 1* cyrce V *m. 2*) circes ς | locosq; F *m. 1* lothosq; V *m. 2* ‖ 28 Scillaq; F N | caribdis F N carybdis V *m. 1* ‖ 29 Lamphatie F Lamphatiae D V (*huius m. 2 hic et u. sq.* Lampathiae *corr.*) Lampathię N, *et plane eodem modo u.* 30 (*nisi quod* N lanpathię) | syticis F sithicis N scythicis D V; *num* Lampetiaeq; Ithacis? | neribus O: uerubus ς ‖ 31 eae F aeae N eaee V *m. 1* ‖ 32 yemis F hyemis D V (F *m. 2*) | natasse N: notasse O ‖ 33 Nigrantesq; F ‖ 34 Syrenum D V; *puto* Sirenum et surdo | adiisse F | latus F *m. 1* ‖ 35 arcus V *corr.*, N: artus O | leto ς: lecto O | renocasse ς ‖ 37 Nec *in* Hęc *corr. m. 2* V ‖ 38 Vincet ς | penelopes V *m. 2*: penelope O (penolope F) | Aelia *Passeratius*: lelia F N laelia D V

XIII.

Quaeritis, unde auidis nox sit pretiosa puellis,
  Et Venere exhaustae damna querantur opes.
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
  Luxuriae nimium libera facta uia est.
Inda cauis aurum mittit formica metallis,
  Et uenit e rubro concha Erythraea salo,
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
  Cinnamon et multi coston odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma maritas
  Quaeque gerunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
  Et spolia obprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reuerentia dandi;
  Et, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
  Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero iacta est fax ultima lecto,
  Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quae uiua sequatur
  Coniugium: pudor est non licuisse mori.

Var. lect. *Noua elegia cum titulo* de auaritia et luxuria (luxu **F**) matronarum *in* **O** ‖ 2 Venere *Itali*: uenerem **O** (ueneris **F** *m. 2*); *malim* iuuenum | exauste **F** *m. 1* exhausto **N** ‖ 3 quidam **F** | et **V** *mg. m. 2*, **N**: est **O** ‖ 5 canis **F** *m. 1* | mittit] **F** *mg. m. 2* nutrit ‖ 6 e rubico **F** *m. 1* | comca *m. 1*, conca *m. 2* **F** | Erythraea *Beroaldus*: ericina **F N** erycina **D V** (**D** *mg. pro uar. lect.* eritrea, **V** *mg. m. 2* erienia) ‖ 7 tires **N** | cammea **F** *m. 1* ‖ 8 Cynnamon **F** Cynamon **N** | coston *Guyetus*: pastor **O**; *Fonteinius* cultor *uel* messor *uel denique* culti messor odoris (*hoc Lachmannus quoque*) *proposuit*; *cf. Hauptius Opusc.* III 514 *sq.* ‖ 9 etiam] p̃ **F**, *corr. mg. m. 2* | clausas **O**: *in* **N** *suprascriptum* nifeas *m. eadem*, *unde praue* uittas *Ungerus*, nymphas *L. Muellerus elicuerunt* | maritas *scripsi*: pudicas **O** puellas *Marklandus* ‖ 10 gerunt *Scioppius et Guyetus*: terunt **O** iterant *Heinsius* | fastos **D**, **V** *m. 1* | icarioti **V** *m. 2*: icariote **O** (icariore **F** *m. 1*) Oechalioti *Ungerus* ‖ 11 Motrana **F**, *corr. mg. m. 2* | inducta **F** ‖ 12 opprob. **D V** | hora **F** ‖ 14 Et *Liuineius*: Aut **O** | ipsa **O**: ista ς ‖ 18 fusis **O**: positis ς ‖ 19 laeti **D** lęti **N**; laetae *Lipsius*

Ardent uictrices, et flammae pectora praebent,
  Inponuntque suis ora perusta uiris.
Hoc genus infidum nuptarum: hic nulla puella
  Nec fida Euadne nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuuentus,
  Diuitiae quorum messis et arbor erant.
Illis munus erat, decussa Cydonia ramo
  Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc uiolas tondere manu, nunc mixta referre
  Lilia uimineos lucida per calathos,
Et portare suis uestitas frondibus uuas
  Aut uariam plumae uersicoloris auem.
His tum blanditiis furtiua per antra puellae
  Oscula siluicolis empta dedere uiris;
Hinulei ac pellis stratos operibat amantes,
  Altaque natiuo creuerat herba toro;
Pinus et incumbens lentis circumdabat umbras,
  Nec fuerat nudas poena uidere deas;
Corniger atque sui uacuas pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oues.
Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,

Var. lect. 21 Gaudent *H. Stephanus* | flamine **N** ‖ 22 Inp. **N**: Imp. **O** ‖ 23 Hoc **O**: Hic **F** *m. 2* | hic nulla *totum in ras. m. 2* **V**, **N**: innupta **D** nupta **F** | nulla pudica *Burmannus* ‖ 24 euhadne **N** (euadne **V** *m. 2 in* euādne *corr.*) | pia] ip̄a **F** | penolope **F** (*et* **V** *ita ut prior* o *ex corr. sit*) ‖ 25 pagana *Janus Gulielmius* ‖ 26 quorum **F** *m. 2*, **N**: quarum **O** ‖ 27 Illis munus erat (erat *fortasse in ras.*) **V**: Illius munus **D** Illis . . . . . (*lac. 5 litt.*) **F** Illis munus erant **N** (**F** *mg. m. 2* † pompa fuit at munus erat † cura fuit); *latet aliquid* | discussa **N** | cidonia **F N** ‖ 28 rubris **F** (*et* **V** *mg. m. 2*) ‖ 30 uimineos *Fruterius*: uirgineos **O** | calatos **F** ‖ 31 uetustas **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 32 uersicoloris **D V** (**F** *m. 2*): uiricoloris **F N** (*ita et* uaricoloris **V** *mg. m. 2*) ‖ 33 Hiis **D** | cum **D V** | antra] rara **N** ‖ 34 siluiculis **F** *m. 1* ‖ 35 Hinulei ac *scripsi*: Atque hinuli **O** (humili **F**, *corr. mg. m. 2*) Hinulei *Scaliger* | stratos *scripsi*: totos **O** positos *Heinsius* tutos *Hoeufftius* ‖ 36 Aptaque *Fonteinius* | thoro **F N** ‖ 37 incombens **N** | lentis *scripsi Misc. Crit. p.* 105: lentas **D N V** letas **F** laetas *et* latas *Itali* ‖ 39 atque sui *Heinsius*: atque dei **O** Idaei *Volscus* inque dies *Lachmannus* | uacuas *scripsi l. l.*: uacuam **O**

Praebebant iustis uerba benigna focis:
'Et leporem, quicumque uenis, uenaberis, hospes,
Et si forte meo tramite quaeris auem:
Et me Pana tibi comitem de rupe uocato,
Siue petes calamo praemia siue cane.'
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes uicta iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro uenalia iura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei;
Ac mox laurigero concussus uertice diras
Gallica Parnasus sparsit in arma niues.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, tuo.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis ñusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar (atque utinam patriae sim uanus aruspex):
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.

Var. lect. 41 Dique **N**: Diique **O** ‖ 42 iustis *scripsi l. l.*: uestris **O** festis *Heinsius* uisi *Astius* ‖ *ante* 43 *aliquid intercidisse statuit Heinsius* ‖ 43 Ut **D**, **V** *m. 1* | quocumque *J. H. Vossius* | uenaberis **V** *m. 2*, **N**: ueneraberis **O** ‖ 45 me penna **F** ‖ 47 At **V** *m. 2 corr.*, **N**: Et **O**; *an* En *?* ‖ 49 rura **V** *mg. m. 2* ‖ 50 mos **D** (*idem mg. pro uar. lect.* mox), **F** *m. 2* | pudor] furor *Heimreichius* ‖ 51 Horrida ς | sacrileg$\overset{i}{u}$m **D** | limina **F** *mg. m. 2*, **V** *m. 2*, **N**: lumina **O** culmina *Heinsius* fulmina *Burmannus* ‖ 52 phithia **F**; ditia *Schraderus* | templa *uel* tigna *Heinsius* ‖ 53 Ac *scripsi*: At **D N V** Aut **F** | mox **D F**: mons (ns *ex corr. m. 2*) **V**, **N** | laurigero **D** ≡aurigero **V**: aurigero **F N** | diras **V** *m. 2*, **N**: duras **O** ‖ 54 parnassus (s *ultima a m. 2*) **V** parnasus **N**: parnassi **D** parnasi **F** | ora ς ‖ 55 Te *Itali*: Et **O** | tracis **F** | polinest. **F** polimest. **N** ‖ 56 polidore **F N** | tuo (*i. e.* secundo) **O**: pio **F** *m. 2*, **N** ‖ 57 eriphila **F** eriphylla **D**· eryphylla **V** ‖ 58 Dilapsus **D** (*et fortasse* **V** *m. 1*); *ceterum malim* Delapsis (*scil. in terrae hiatum*) | nusquam **F** *mg. m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: nũquam **F** nunquam **D** nunc **V** | amphyar. **N** ‖ 59 uanus **V** *mg. m. 2*: uerus **O** (**F** *mg. m. 2* imo falsus) | auruspex **F** ‖ 60 sitis **N** ‖ 61 ylia **F**; nec credita *Schraderus* ‖ 62 Vax **F** *m. 1*

Sola Parim Phrygiae fatum componere, sola
  Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae uilis fuit, ille parenti:
  Experta est ueros irrita lingua deos.

XIV.

Multa tuae, Sparte, miramur iura palaestrae,
  Sed mage uirginei tot boua gymnasii,
Quod non infames exercet corpore ludos
  Inter luctantes nuda puella uiros,
Cum pila uelocis fallit per brachia iactus,
  Increpat et uersi clauis adunca trochi,
Puluerulentaque ad extremas stat femina metas
  Et patitur duro uulnera pancratio;
Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris,
  Missile nunc disci pondus in orbe rotat;
Gyrum pulsat equis, niueum latus ense reuincit,
12 Virgineumque cauo protegit aere caput;
15 Et modo Taygeti, crines aspersa pruina,
16 Sectatur patrios per iuga longa canes;
13 Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis

Var. lect. pergameis *ex* -mens *corr.* F | Phoebas *Passeratius* ‖ 63 parum F *m. 1* | frigie F ‖ 64 equm N ‖ 65 uilis fuit *scripsi Misc. Crit. p.* 105: fuit utilis O fuit irritus *Fonteinius*, *qui u. seq.* diruta Troia ‖ 66 uerax F

XIV. *Noua elegia cum titulo* ad spartum (-en V *m. 2 corr.*) *in* O (*in* N *m. 1 cohaeret priori*) ‖ 2 ginnasii F gimn. N | ludos *Auratus*: laudes O ‖ 5 uelodis F *m. 1*; ueloci — iactu *Scaliger* | bracchia D F, V *m. 1* ‖ 6 uersi] uera F *m. 1* | aduncha F ‖ 8 pancracio D V ‖ 9 legat accestum F *m. 1* | candentia *Gruterus* | bracchia D, V *m. 1* ‖ 11 Girum F N Circum pulsat equis ς Gyrum curuat (*uel* format) eques *Fonteinius* | esse F | reuicit N ‖ *uu.*, *qui sunt in* O 15 *et* 16, *ante* 13 *transp. Scaliger et Canterus* ‖ 15 taigeti D V tageti F ‖ 16 Sectantur F; Hortatur *Schraderus* ‖ 13 amazonicum F | mamnus N

Thermodontiacis turba lauantur aquis,
Talis et Eurotae Pollux et Castor harenis
(Hic uictor pugnis, ille futurus equis),
Inter quos Helene fluidis uersata capillis
Fertur nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana uetat secedere amantes,
Et licet in triuiis ad latus esse suae,
Nec timor aut ulla est clausae tutella puellae,
Nec grauis austeri poena cauenda uiri.
Nullo praemisso de rebus tute loquaris
Ipse tuis: longae nulla repulsa morae.
Non Tyriae uestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratae cura molesta comae.
At nostra ingenti uadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse uia.
Nec quae sint facies nec quae sint uerba rogandi,
Inuenias: caecum uersat amator iter.
Quod si iura fores luctasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

Var. lect. 14 Termodonteis (-tiacis *m. 2*) **F** Termodo=ntiacis (o *erasa*) **V** Termodoonciacis **D** Thermodoontiacis **N** | lauantur **D V** (*cf.* III 17, 28): lauatur **F N** (**V** *m. 2*); uagatur *Heinsius* (*idem* agris, equis ς) || 17 Talis *scripsi*: Qualis **O** | arenis *Volscus*: athenis **O** (*ex* a[h]renis) habenis *et* **F** *et* **V** *mg. m. 2*, **N**; ad undas *Itali* || 19 helena **F** *m. 2* helenae **D** | fluidis *scripsi*: nudis **O** | uersata *scripsi*: est armata **F** armata **D V** capere armis **F** *mg. m. 2* capere arma **N** | capillis **O**: papillis **F** *m. 2*, **N** || 21 se thedere **F** *m. 1* || 22 isse *Heinsius* || 23 tutella **V**: tutela *ceteri* || 24 hausteri **N** || 27 Non **O**: Nec **N** | tirie **F** || 28 adoratae **N** | comae *Canterus*: domi **O** || 29 ingenii **N** || 30 uia **V** *corr.*, **N**: tua **D** (*et* **V** *fortasse m. 1*) nr̄a (*sic*) **F** || 31 sint, n *m. 2 suppuncta in* **V** | qui s. aditus *Heinsius* quae sit facilis *Burmannus*, *qui porro* det u. roganti | rogand **N** *margine abscisso* || 33 feres **N** | luctasque *Fonteinius*: pugnasque **O** | leonum **N**

XV.

Sic ego non ullos iam norim in amore tumultus,
  Nec ueniat sine te nox uigilanda mihi:
Ut mihi praetexti pudor est sublatus amictus
  Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
  Inbuit heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius haud multo minus est cum dicitur annus:
  Vix memini nobis uerba coisse decem.
Cuncta tuus sepeliuit amor, nec femina post te
  Ulla dedit collo dulcia uincla meo.
45 Fabula nulla tuas de nobis conciet aures:
46   Te solam et lignis funeris ustus amem.
43 At tu non meritam parcas uexare Lycinnam:
44   Nescit uestra ruens ira referre pedem.
11 Testis erit Dirce tam uero crimine saeua,
  Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
A quotiens pulcros uulsit regina capillos,
  Molliaque inmites fixit in ora manus!

Var. lect. XV. *Noua elegia* ad cynthiam de lycinna (licimia **F**) *in* **O** ‖ 1 Hic **N** *rubricator* | ullos (n *fortasse erasa*) **V**, **N**: nullos **D F** ‖ 3 praetexti **N**: praetexta **O** praetextae ς | sublatus ς, *ego*: uelatus **O** elatus *Guyetus* ablatus *Heinsius* exsinuatus *Santenius* releuatus *Fonteinius* | amictus **D V**: amicus **F N** (**V** *mg. m. 2*) amictu ς ‖ 4 dare **F** *m. 1* ‖ 5 coscia **N**; cognita *Schraderus* ‖ 6 Inbuit **N**: Imbuit **O** | licinna **F N**; lycinna **V** *ita ut* c *ex corr. sit* ‖ 7 haud **O**: aut **N** haut **V** *m. 2* | duciur **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 9 sepeḷliuit **F** ‖ *post* 10 *Vulpius et Burmannus* 43 *et* 44 *posuerunt*; *sed una cum his uu.* 45 *et* 46 *praepositos traiciendos esse Guil. Fischerus agnouit* ‖ 45 conciet **D V**: concitet **F N** (*et* **V** *m. 2*) ‖ 46 liṇgnis (*alt.* n *ex corr.*) **F** ‖ 43 lyennam **F** (*corr. mg. m. 2*), *om.* **N** *marg. abscisso* (*ut et* 44 dem, 45 aures); *libri* **F** *scriptura fauet Fonteinio hic et u.* 6 Lycaena *reponenti* ‖ 44 ire **N** | refere **D V** ‖ *ab* 11 *noua in* **O** *elegia cum titulo* fabula anthiop(a)e ‖ 11 erat *Liuineius* | dure **F** *m. 1* (*et* **V** *mg. m. 2*) | scȩua **V** ‖ 12 Nicteos **D N** Nictios (e *m. 2 suprascr.*) **F** | antepen **F** *m. 1* anṭhiopem **D** | loco **F** *m. 1* ‖ 13 (*et* 15) Ha **F** Ah *ceteri* | pulcros **F**: pulchros *ceteri* | uulsit *Rob. Titius*: ussit **O** ‖ 14 ī mites **V** immites **D**: inmittens **N** immittens **F**

A quotiens famulam pensis onerauit iniquis,
Et caput in dura ponere iussit humo!
Saepe illam inmundis passa est habitare tenebris,
Vilem ieiunae saepe negauit aquam.
Iuppiter, Antiopae nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam seruire puellam.
Inuocet Antiope quem nisi uincta Iouem?
Sola tamen, quaecumque aderant in corpore uires,
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cithaeronis timido pede currit in arces.
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Saepe uago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominae pone uenire pedes.
Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
At ueluti, magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus in aduersos desinit ire Notos
Litoreque in tacito sonitus rarescit arenae:
Sic, adit ut flexo lapsa puella genu,
Sera tamen pietas natis et cognitus error.
Digne Iouis natos qui tueare senex,
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bouis.

Var. lect. 15 ☰pensis V pensis N: ĩ pensis F impensis D | ĩniquis V ‖ 17 in mundis D V | latitare *L. Muellerus* ‖ 19 Iupiter F | antiope O (anthiope F *m. 2*) ‖ 20 dira cathena F ‖ 21 es ς: est O | seruire O: seruare V *m. 2* ‖ 22 Imictet F, *corr. mg. m. 2* | anthiope F antiopem D antiope☰ (*erasa* m) V | uincta ς: uicta O ‖ 24 machinas F ‖ 25 cytheronis V *m. 2*, N: citeronis D V ciceronis F ‖ 27 asopi D V: esopi F ęsopi N (aesopi V *m. 2*) ‖ 28 pene D V (*hic mg. m. 2* pone) ‖ 29 zetum D V zętum N cethim F ‖ 30 stabulis ς: tabulis O ‖ 31 At F: Ac D N V ‖ 32 in aduersos — notos O: sub aduerso — notho N (*unde* ubi aduerso — noto *Lachmannus*) ‖ 33 Litoreque in *scripsi*: Littore (Litore F *m. 1*) sic O si ς sub *Liuineius* Litore et in *Caruttius* ‖ 34 Sic adit (*scil.* natos) *scripsi*: Si cadit O Sic cadit V *m. 2*, N | ut flexo *Jacobus*: inflexo O | lassa ς ‖ 35 uatis F (*et* V *mg. m. 2*) | et ς: est O | error] ordo D (*et* V *mg. m. 2*; error D *mg.*) ‖ 36 natos *e u. priore ortum uidetur*; *fort.* prolem ‖ 37 puerique] s *supra* iq *m. 2* F ‖ 38 Vincerunt F Vixerunt N | duren F *m. 1* dircem D V

Antiope, cognosce Iouem: tibi gloria Dirce
Ducitur in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, uictorque canebat
Paeana Amphīon rupe, Aracynthe, tua.

XVI.

Nox media, et dominae mihi uenit epistula nostrae:
Tibure me missa iussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At si haec distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus saeuior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedit amantes:
Scironis media sic licet ire uia.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:

Test. 16, 13 sq. Inscriptio Pompeiana [C. I. L. IV n. 1950]: 'quisquis — nolet'.

Var. lect. 39 Anthiope **F** | dure **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 41 Prata ς: Parta **O**; *fortasse nomen loci Aracyntho oppositi latet, quo illud* in multis m. h. locis *inlustretur* | zeti **D F** zęti **V** zethi **N** Zetho *et* Zethus *Itali* late *Schraderus* leto *Lachmannus* | can (*litt.* ebat *abscissis*) **N** ‖ 42 arachinte **O** (h *in* **V** *expunxit m. 2*)

XVI. *Noua elegia cum titulo* de imperio amic(a)e *in* **O** ‖ 1 epistola *codd. praeter* **V** ‖ 2 Tybure **D F** Tiburi **N** | missa] nulla **F** ‖ 4 Et *om.* **D** | cadit **V** *m. 2*, **N**: cadet **F V** Cadent **D** | nympha **O**, *corr.* **F** *m. 2* ‖ 5 comittam meue **F** ‖ 6 Et *Guyetus* ‖ 7 si *om.* **F**, *add. m. 2* | h(a)ec distulero **O**: distulero haec **N** 8 scaeuior (c *del.*) **V** ‖ 9 Peccarem **F** *m. 1* | pulsus] portus **N** ‖ 10 ulla **D** (*idem mg. pro uar. lect.* illa) ‖ 11 sactos sacros **F**, *unde* sanctos *conicias* | l(a)edit **O**: l(a)edat **F** *m. 2*, **V** *m. 2*, **N** ‖ 12 Scironis **F** | sic licet ς: si licet **O** scilicet **V** *mg. m. 2*, **N** si libet, ite *Heinsius* (*idem* medias his l. i. uias) ‖ 13 erit *om.* **F**, *add. mg. m. 2* | siticis **F** scyticis **N**; Scythiae *inscr. Pomp.*, *errore puto* | ambulet *eadem*, **V** *corr.*: ambulat **O** (*etiam* **N**) | horis **N**

14 Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse uolet.
19 Sanguine tam puro quis enim spargatur amantis
20 Improbus? ecce suis it comes ipsa Venus.
15 Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras,
Ipse Amor accensas praecutit ante faces,
Saeua canum rabies morsus auertit hiantis:
18 Huic generi quouis tempore tuta uia est.
21 Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio uel sit emenda mihi.
Adferet haec unguenta mihi sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
25 Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite uulgus iter:
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea deuia terra coma,
Atque humer ignotae cumulis uallatus harenae:
30 Non iuuat in media nomen habere uia.

Var. lect. 14 adeo *inscr. Pomp.*: deo **O** | noceat **O**: feriat *inscr. Pomp.* || *uu., qui sunt in* **O** 19 *et* 20, *post* 14 *traiecit Struchtmeyerus* || 19 puro *Guil. Fischerus*: paruo **O** || 20 Improbis **F** *m. 1* | ecce suis *Guil. Fischerus*: exclusis **O** | it *Struchtmeyerus* (*cf. et Boltius, silu. crit. p.* 78): fit **O** || 15 ministrat] demonstrat **F**; *erat cum conicerem* inlustrat | demonstrat astra **D** || 16 praecutit *Guyetus*: percutit **O** || 17 Scaeua (c *del.*) **V** | aduertit **F** auertat **D V** | iantis **F** *m. 1* || 18 quamuis **F**, *corr. mg. m. 2* || 21 *sqq. usque ad finem interpolatos habet Heimreichius*, *post* 10 *traïecit Guil. Fischerus* || 22 Tali **V** *mg. m. 2* | praecio **D** | fit **F** || 23 Adf. **N**: Aff. **O** | haec *Guyetus*: hūc **O** | ungenta **F N** | sepulchum **N** || 25 Dii **D F** (**V** *m. 2*) | ne **D**: nec **F N V** || 27 tumuli, *suprascr. m. 2* tituli **F** | amantes **F** *m. 1* || 29 Atque *scripsi*: Aut **O** | humer (-ri **N**) ignotae **F N** (**V** *mg. m. 2*): ignotae humor **D V** | cumulis **D N**: cumulus **F V** tumulus **V** *m. 2* | ualatus **V** *m. 1* | arene **F** || 30 Non **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: Me **O**

XVII.

Nunc, o Bacche, tuis humiles aduoluimur aris:
  Da mihi pacato uela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
  Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te soluuntur amantes:
  Tu uitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
  Lyncibus ad caelum uecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod ueteres custodit in ossibus ignes,
  Funera sanabunt aut tua uina malum.
Semper enim uacuos nox sobria torquet amantes,
  Spesque timorque animum uersat utrimque meum.
Quod si, Bacche, tuis per feruida tempora donis
  Accersitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram uites pangamque ex ordine colles,
  Quos carpant nullae me uigilante ferae.
Dum modo purpureo spument mihi dolia musto
  Et noua pressantis inquinet uua pedes,
Quod superest uitae, per te et tua cornua uiuam,
  Virtutisque tuae, Bacche, poeta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
  Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque noua nequicquam in uite Lycurgum,

VAR. LECT. XVII. *Noua elegia cum titulo* ad bacc(h)um *in* **O** ‖ 1 bache *semper* **N** bacce **F** *m. 1* ‖ 2 pacato **O**: bacchato **V** *mg. m. 2* ‖ 4 sit **D**, *et*, *ut uid.*, **V** *m. 1* ‖ 6 bacce **F** ‖ 7 in astris] amoris *Burmannus* ‖ 8 Lincibus **F** | adriana **F** adriagna **N** ‖ 10 aut] ut **F** ‖ 11 Semper *ex* Sepe *corr.* **F** | *puto* uiduos *uel* uacuos nox somni ‖ 12 animum **V** *m. 2 corr.*: animo **O** animos *Heinsius* | uexat ς | utrinque meum ς: utroque modo **O**; *malim* utrimque malus ‖ 13 bacce **F** | 15 uitos **F** *m. 1* ‖ 17 spument ς: numen **D N V** nūīe **F** ‖ 18 p̄santis **N** | inquiet **F** | una **F** urna **D** (*idem mg. pro uar. lect.* uua) ‖ 19 uitae] inte **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 19 per te et tua **O**: et *del. Lachmannus* ‖ 20 bacce **F** ‖ 21 heterneo **F** ethneo **N** | fulmine **V** *corr.*, **N**: flumine **O** ‖ 22 niseis **F** nyseis *ceteri* | coris **F** thoris **V** *m. 1* ‖ 23 nequisquam **F** *m. 1* nequiquam **N** | ligurgum **F** lygurgum **N**

Pentheos in triplices funera grata greges,
Curuaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In uada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per Diam bene olentia flumina nasci,
Unde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas,
Leuis odorato ceruix manabit oliuo,
Et feries nudos ueste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent,
Vertice turrigero iuxta dea magna Cybelle
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo seruitio uacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum uince sopore caput.

Var. lect. 24 tracta ς rapta *Passeratius* funera lata rogos *Heinsius* ‖ 25 tyrrhenos **V** *m. 2*, **N**: tyrrenos **O** ‖ 26 dissiluisse **F** ‖ 27 Diam *A. Palmer*: mediam **O** | bene olenti flumine *Scaliger* | nasci (*uel* nata) *scripsi*: naxon **O** (uaron **F**, *corr. mg. m. 2*) *e glossemate*; saxis *A. Palmer minus bene* desiluisse *supplens* ‖ 23 uaxia **F** (*mg. m. 2* maxima) ‖ 29 corimbis **F** ‖ 30 Cinget **V** *m. 2*: Cingit **O** | lidia **F** ‖ 31 Lenis ς ‖ 32 udos *Heinsius* ‖ 33 timpana **F**; *ceterum hic* cymbala *et u.* 36 tympana *restitui uult Burmannus* ‖ 34 yante **F** ‖ 35 turigero iusta **F** | cybelle **D V**: cybele **F** cibelé **N** Cybebe *uulgo* ‖ 36 Fundet **O**, *corr. Scaliger* | ydeos cimb. r. coros **F** ‖ 37 crather antistis (ti *suprascr. m. 2*) **F**; cratere antistes et auro *Heinsius*, *quod placet* ‖ 39 coturno **F N** choturno **D** ‖ 40 spc **N**

XVIII.

Clausus ab umbroso qua tundit pontus Auerno
Fumida Baiarum stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus harena,
Et sonat Herculeo structa labore uia,
Hic, ubi, mortalis dextra cum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo,
(At nunc, inuisae magno cum crimine Baiae,
Quis deus in uestra constitit hostis aqua?),

*

* *

His pressus Stygias uultum demisit in undas,
Errat et in uestro spiritus ille lacu.
Quid genus aut uirtus aut optima profuit illi
Mater, et amplexum Caesaris esse focos,
Aut modo tam pleno fluitantia uela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat uigesimus annus:
Tot bona tam paruo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra iuuent,
Attalicas supera uestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.

Var. lect. XVIII. *Noua elegia cum titulo* quod mors sit (*om.* **F**) ineuitabilis (inuit. **D V**) *in* **O** ‖ 1 Plausus ς | imbroso **F** *m. 1* | tundit *scripsi*: ludit **O** alludit *Lambinus* ‖ 2 Fumida *Scaliger*: Humida **O** | tēpentis **F** ‖ 3, 4 *fortasse* iacet *et* sonat *transponenda* | tubicem **V** | missenus **D N V** misseuis **F** | arena **D V** ‖ 5 mortalis **O**: mortales **N** dextra **D V**: dexter **F N** ‖ 6 Cimbala **F** ‖ 7 Ac **D**, **V** *m. 1* | bate **F** *m. 1* bacę (i *m. ead. suprascr.*) **N** ‖ 8 nostra **F** | consistit **F** *m. 1* ‖ *ante* 9 *aliquid intercidisse statuit Guyetus*; *et sane mirum est*, *Marcelli nomen nusquam legi*; *unde cum uu.* 29 *et* 30 *post* 8 *traiciendi mihi uideantur*, *alterum distichon una cum illo sede sua reuolsum periisse putauerim* ‖ 9 Bis (B *ex corr.?*) **V**; Hic *Guyetus* | multum **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 10 nostro **F** ‖ 13 fluctuantia u. teatro **F** ‖ 15 et] ut *Heinsius* ‖ 16 quam paruo *Heinsius* ‖ 18 plausum, m *eras. in* **V** | teatra **F** ‖ 20 Gemmea **F N**: Semina **D V** | sint **V** *m. 2*, **N**: sunt **O** | dabit **F** *m. 1*

Sed tamen hoc omnes, hoc primus et ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda uia est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla,
Scandenda est torui publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et aere:
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non uis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populauit Achiuos,
Atridae magno cum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui traicis umbras,

*
*   *

Huc animae portent corpus inane tuae,
Qua Siculae uictor telluris Claudius et qua
Caesar ab humana cessit in astra uice.

XIX.

Obicitur totiens a te mihi nostra libido:
Crede mihi, uobis imperat ista magis.
Vos, ubi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.

VAR. LECT. 21 hoc omnes, hoc (*scil.* facimus) *Lachmannus*: hoc omnes huc **O** huc (*ita* **F** *m. 2*) omnes, huc *uulgo*, *quo seruato* Tendimus *pro* Sed tamen *Heinsius* ‖ 22 tenenda **F** *m. 1* (*et ita* **D** *mg. pro uar. lect.*) ‖ 24 torui **F** *mg. m. 2*, **V** *ita ut* ui *ex corr. sit*: torti **D F** troci **N** | cimba **F** ‖ 25 here **F** ‖ 26 Nerea **O** ‖ 28 Cresum **F N** | pattoli **F** | parit] premit **F** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*) ‖ 29 *et* 30 *quid hic sibi uelint*, *ut iam priores*, *sic neque ego intellego*; *fortasse post* 8 *parenthesi inserendi* ‖ 30 alter] altus *Lachmannus* | hamor (a *ex* u *corr.*) **F** ‖ *post* 31 *lacunae signa posui*; At tu *Burmannus*, *dein* Duc animae, Porthmeu, c. i. suae *Heinsius* Huc animae portes c. i. suae *Marklandus* Hoc animae portent c. i suae *Lachmannus* ‖ 34 uice *scripsi*: uia **O**

XIX. *Noua elegia cum titulo* de incontinentia mulierum *in* **O** ‖ 2 uobis *ex* nobis *corr.* **F** | illa **V** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 4 captae] libere **F**; *malim* raptae

Flamma per incensas citius sedetur aristas
  Fluminaque ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum et bona litora nautis
  Praebeat hospitio saeua Malea suo,
Quam possit uestros quisquam reprendere cursus
  Et rabidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa iuuenci
  Induit abiegnae cornua falsa bouis:
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
  Quae uoluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit patria succensa senecta
  Arboris in frondes condita Myrrha nouae.
Nam quid Medeae referam quo tempore matris
  Iram natorum caede piauit amor?
Quidue Clytaemestrae, propter quam tota Mycenis
  Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque o Minoa pessumdata, Scylla, figura
  Tondes purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem uirgo desponderat hosti!
  Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At uos, innuptae, felicius urite taedas:
  Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non etenim inmerito Minos sedet arbiter Orci:
  Victor erat quamuis, aequus in hoste fuit.

Var. lect. 5 Flama (*alt.* a *ex corr.*) **F** ‖ 6 ad montes **F** ‖ 7 sirtes **F N** ‖ 8 scęua malęa **V** ‖ 9 nostros **F** | reprehendere **F N**; restringere *Fonteinius* ‖ 10 rabidae ς: rapidae **O** ‖ 11 crethei **F** crętęi **N** ‖ 12 abiegne **D F**: abiegno **V** (o *in ras.*), aiegno **N** | bouis ς: boui **O** ‖ 13 salmonis (m *ex corr.*) **V**, **N**: salomonis **F** salononis **D** (*et fort.* **V** *m. 1*) | erapno (*suprascr. m. 2* enipeo) **F** enipheo **D V** (*in hoc* h *suppuncta*) ‖ 16 myrra **D N** mirra **F V** | nouē **N** | 17 quo tempore matris *corrupta*; *in illis fortasse* concepta (*scil.* crimina) *latet*, *hoc siue in* mariti (iram) *siue in* maritus (amor) *mutandum uidetur*: concepta ? mariti *eqs.* ‖ 19 clitemestre (-rę **N**) **F N**: clyt(a)emnestrae **D V** Clytaemnestra *Lachmannus* | micenis **F N**; Mycenes *Heinsius* ‖ 20 Infantis **F** *m. 1* | sta **N** ‖ 21 Teque *Guyetus* Tu quoque *Lachmannus* | mynoa **N** minooa **V** *m. 2* | pessumdata *Heimreichius*: uenundata (uenūd. **F**) **O** | scilla **F** ‖ 22 Tondes *Keilius*: Tondens **O** | purpuream, r. p., comam *Marklandus*, *quod placet* | 24 Nyse **D V** ‖ 25 Et **F** ‖ 26 cretea **O** ‖ 27 etenim *scripsi*: tamen **O** | immerito **F V** ‖ *fortasse finis elegiae deest*

XX.

Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
  Vidisti a lecto quem dare uela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam!
  Tantin ut lacrimes Africa tota fuit?
At tu stulta adeo's? tu fingis inania uota?
  Forsitan ille alio pectus amore terat.
Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
  Splendidaque a docto fama refulget auo,
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
  Fidus ero: in nostros curre, puella, toros.

*
* *

13 Nox mihi prima uenit. primae date tempora noctis:
14   Longius in primo, Luna, morare toro:
11 Tu quoque, qui aestiuos spatiosius exigis ignes,
12   Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.
15 Foedera sunt ponenda prius signandaque iura
  Et scribenda mihi lex in amore nouo.
Haec Amor ipse suo constringet pignora signo:
  Testis sidereae tota corona deae.

VAR. LECT. XX. *Noua elegia cum titulo* de contemptore (comptemptore **V** *ex parte euanidus* comptentore **D**) amic(a)e *in* **O** ‖ 1 eū (u *m. 2 corr.*) **F** enim **D**; *fortasse recte si initium deesse statuimus* ‖ 4 Tantine (-tin *ego*) ut lacrimes *Heinsius*: Tantis in lacrimis **O**, *nisi quod* ne *supra lineam m. 1* (*ut uid.*) **V** *addidit*, *unde* Tantisne in **N**; Tantine in lucris *Gronouius* Tantine his lacrimis *Paldamus* | affrica **F N** ‖ 5 stulta adeo's? *Conr. Rossbergius*: stulta deos **O** | uota *scripsi*: uerba **O** uera *Lachmannus* ‖ 6 terat **F N** (**V** *m. 2*): terit **D V** (**F** *m. 2*) ‖ 7 Ast **N** ‖ 10 ego *Heinsius* | t(h)oros **O**: sinus ς ‖ 11 *sqq. adhaerent prioribus in* **O**, *separ. Scaliger*, *qui et uu. qui sunt* 11, 12 *et* 13, 14 *in* **O** *traiecit* ‖ 13 data ς ‖ 14 morare *ex* morate *m. 1* **N** | thoro **F N** ‖ 11 Tuque o *Lachmannus* | extiuos (s *supra* x *m. 2*) **F** | spaciosius **V** *m. 2*, **N**: spaciosus **O** ‖ 15 pangenda *Burmannus* | iura (*ita* **N**)] una **F** ‖ 17 confringit **O** constringit **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N** constringet *Beroaldus* | pignita **F** pignera *idem m. 2 et* **N** ‖ 18 tota *Passeratius*: torta **O**

Quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
  Dulcia quam nobis concitet arma Venus!
Namque, ubi non certo uincitur foedere lectus,
  Non habet ultores nox uigilanda deos,
Et quibus inposuit, soluit mox uincla libido;
  Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo, qui pactas in foedera ruperit aras
  Pollueritque nouo sacra marita toro,
Illi sint quicumque solent in amore dolores,
  Et caput argutae praebeat historiae;
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae:
  Semper amet, fructu semper amoris egens.

XXI.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
  Ut me longa graui soluat amore uia.
Crescit enim assidue spectando cura puellae:
  Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt temptata mihi, quacumque fugari
  Possit: at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negauit:
  Seu uenit, extremo dormit amicta toro.

Var. lect. 19, 20 *post* 16 *Scaliger*, *ante* 15 *Lachmannus ponebant*; *hoc probato* iter, Quom — cedent *scribendum puto* ‖ 19 cedent (e *alt. ex corr.* ?) **V** cędent **N**: cedant **D F** ‖ 20 alma **D** ‖ 21 uincetur **N** ‖ 22 uigila **N** ‖ 23 impos. **D V** | mox ς: nox **O** ‖ 24 Continuent *Burmannus* | omina ς: omnia **O** ‖ 25 tactas *Passeratius* Ergo qui tactis haec f. r. aris *Burmannus*; *puto* Ergo pacta suis qui f. r. aris ‖ 26 thoro **F N** ‖ 27 sunt **F** ‖ 28 ystorie **F** ‖ 29 dominae *corruptum*; *num* solitae? (28 *et* 29 *interpolatos putat Heimreichius*) ‖ 30 egens *ex* agens *corr.* **F**

XXI. *Noua elegia cum titulo* ad cynthiam (*om.* **V**) *in* **O** ‖ 3 assiduae **D N V** | spectandi **N** (*unde* spectanti *erat qui coniceret*) ‖ 5 temptata **N**: tentata **O** (tenta **F** *m. 1*) ‖ 6 at **F** *m. 2*, **N**: ad **F** et **D V** | ille **D V**: ipse **F N** (**V** *mg. m. 2*) ‖ 7 Vix tandem aut semel *Heinsius* Vix tandem semel *Fonteinius*, *qui etiam* Vix uenit aut semel adm. c. s. n. Sed (Sic) tamen extremo *eqs*; *puto* Vix semel aut tantum — Sin uenit | amittit **F** *m. 1*, **N** | negarit **F N** (**V** *mg. m. 2*) 8 amicta *Scaliger*: amica **O** | thoro **F N**

Unum erit auxilium: mutatis Cynthia terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora nauem,
Remorumque pares ducite sorte uices,
Iungiteque extremo felicia lintea malo:
Iam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres et uos ualeatis amici,
Qualiscumque mihi tuque puella uale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci uehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium uectus cum fessa Lechaeo
Sedarit placida uela phasellus aqua,
Quod superest, sufferte, pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient me litora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa uiae.
Illic aut stadiis animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis;
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Rideboue tuos, culte Menandre, sales;

Test. 21, 14. Nonius p. 169 M.: 'secundare prosperare . . . Propertius elegiarum lib. III: Iam — iter'.

Var. lect. 11 socii N: sotii O | equora F: aequore D N V ‖ 12 forte F ‖ 13 exermos (s *del.*) F ‖ 14 Nam F ‖ 15 turres, e *ex* i *uidetur corr.* V ‖ 16 Qualisq; (cun *add. m. 2*) F ‖ 18 undosos *Marklandus* ‖ 19 confessa F *m. 1* | liteo F lyceo D V lycheo N; Lechaei *Guyetus* ‖ 20 uera F | phasellus D V fasellus (*prior* l *m. 2 suppuncta*) F phaselus N ‖ 21 sufferte ς: sufferre O | properare N; *ceterum* properate pedes, sufferte laborem *Struchtmeyerus* sufferre, pedes, properate laborum (*uel* Qui — laborem) *Lachmannus* ‖ 22 Ismos (*mg. m. 2* aī Ionios) F Istmos N | utq; (rin *suprascr. m. 2*) F ‖ 23 pirei D F pyrei V ‖ 24 Scandem F *m. 1* | bracchia D V (*in hoc prior* c *del. m. 2*) ‖ 25 *et* 26 *delebat Lachmannus* ‖ 25 aut *L. Muellerus*: uel O | stadiis (*uel* spatiis) *Broukhusius*: studiis O | plōis F, *corr. mg. m. 2* ‖ 26 hortis N: ortis O | docte] dux *Broukhusius* note *Burmannus patruus* laete *Slothouwerus* ‖ 27 Prosequar ς | demostenis F N ‖ 28 Rideboue *temptaui*: Librorumque O Ludorumque *uel* Mimorumque *Heinsius* Miraborque *Fonteinius* Libaboque *G. T. Suringar* | culte *Heinsius*: docte O compte, munde, scite *alii*

Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Siue ebore exactae seu magis aere manus.
Et spatia annorum et longa interualla profundi
Lenibunt tacito uulnera nostra sinu.
Sic moriar fato, non turpi fractus amore;
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

XXII.

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus et sacra fabricata e uite Cybelle
Raptorisque tulit qua uia Ditis equos?
Sic te forte iuuant Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, mouere meo?
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonis stabula, et luctantum in puluere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros;
Tuque tuo Colchum propellas remige Phasim

Var. lect. 29 me **V** ‖ 31 Et spatia — et longa *scripsi*: Aut spatia — aut longa **O** (et longa *Scaliger*) | annorum] domorum **F** *m. 1* armorum *m. 2* ‖ 32 situ *Itali* ‖ 33 Sic *J. H. Vossius*: Seu **O** Aut *Guyetus*

XXII. *Noua elegia cum titulo* ad tullum *in* **O** ‖ 1 cizzicus **F N** cirzicus (rz *in ras. m. 1*) **V** | annus **O** (amnis **D**), *corr.* **F** *m. 2* ‖ 2 proponciaca **D** | qua **D V**: quae **F N** | furit aestus *Fonteinius*; *puto* fremit | ysmos (u *supra* o *m. 2*) **F** ismos **N** ‖ 3 Dindimus **F V** | sacra fabricata iuuenta **O** (inuenta **N**), *tum* cybelle **D V** cybille **F** cibile **N** sacrae fabricata iuuenca Cybebae *Is. Vossius ad Catull. p.* 161; e uite *Hauptius*, *quod dubitanter recepi* (*alii alia ab omni probabilitate abhorrentia*); *erat cum* glabri, sacrata iuuenta Cybellae (*scil.* Galli) *agnoscerem* ‖ 4 quae *Itali* | *in fine uulgo punctum*, *interrogationis signum posuit Caruttius* ‖ 5 Sic *ego*: Si **O** | iuuat **F N** | heles **V** *m. 1* ‖ 6 Nec ς: Et **O** ‖ 7 athlanta **O** ‖ 8 hora **F** ‖ 9 Geryonis **D V**: Gerionis **F** Girionis **N** Geryonae *uulgo* ‖ 10 antheiq; **F** anteiq; *ceteri* | exper. (h *add. m. 2*) **F** ‖ 11 colchum **N**: cholcum **O** | phasim, *ita* **O**

Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argea natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta nouae,
Aut si quadriga et uisenda est ora Caystri
Et qua septenas temperat unda uias:
Omnia Romanae cedent miracula terrae:
Natura hic posuit, quicquid ubique uiget.
Armis apta magis tellus quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet historiae:
Nam quantum ferro tantum pietate potentes
Stamus: uictrices temperat illa manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et aeternum Marcius humor opus,
Albanus lacus et socia Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur uentre cerastae,
Itala portentis nec furit unda nouis,
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes,
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes
Exitium nato matre mouente suo,
Penthea non saeuae uenantur in arbore Bacchae,

Var. lect. 12 Peliaceq; **V** *m. 2*, **N**; Pelliaceq; **O** (-cisq; **F** *m.* 2) | turbis **F**, *corr. m. 2* ‖ 13 argea **O**: argoa *et* **F** *et* **V** *m. 2*, **N** ‖ 14 adacta] ad ossa **F** ‖ 15 Aut *Fonteinius*: At **O** Et **F** *m. 2*, **N** | quadriga et (*cf. Prolegg.*) *scripsi*: qua orige (-gę **V** *m. 2*, **N**) **O** Gygaei *uel* cygnei *uel* olorigeri *Itali* (Si tibi olorigeri *A. Palmer*) quadrigae *Scaliger* qua Ortygii *Is. Vossius* (Ortygiae *Lachmannus*) sis, qua Ortygia et uis. *Hauptius* | caistri **O** ‖ 18 uiget *ego*: fuit **O** nitet *Heinsius* ‖ *uu.* 19—22 *post* 38 *transposuerim* ‖ 20 ystorie **F** ‖ 22 illa ς: ira **O** ‖ 23 almo **D** anio, a *in ras. m. 1* **V** | tyburne **V** tirburne **N** | fluis ς: flues **O** | Clitumnus *om.* **F** (*add. m. 2*) litumnus **N** liciminus **D** liciinnus (in *in ras. m. 1*) **V** | umbra **F** *m. 1* ‖ 24 martius **O** ‖ 25 locus **N** | socia *Francius*: sotii **F** socii **N** sotiis **D V** (*unde* sociis ab undis *conicias*) | memorensis **D** ≡nemorensis **V** ‖ 26 Portaque **D** | polucis **F** | lympha ς: nympha **O** (nimpha **F**) ‖ 27 Ac **D V** | nunc **N** | scamoso **F** *m. 1* | labuntur **N**: lambuntur **O** ‖ 28 portantis **F** *m. 1* | furit ς: fuit **O** fluit ς | unda ς: una **O** ora ς ‖ 29 andromad(a)e **O** ‖ 30 febe **F** | fugate, *ita* **O** ‖ 31 quicquam **F** (*num* quoiquam ?) ‖ 33 Penthea **V** *m. 2*, **N**: Pentea **O** | scaeue (-ę *m. 2*) **V** | bacce **F** bachę **N**

Nec soluit Danaas subdita cerua rates,
Cornua nec ualuit curuare in paelice Iuno
Ac faciem turpi dedecorare boue,

*

* *

Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Grais
Saxa, et curuatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes,
Hic tibi pro digna gente petendus honos,
Hic tibi ad eloquium ciues, hic ampla penatum
Spes et uenturae coniugis aptus amor.

XXIII.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriuerat usus,
Qui non signatas iussit habere fidem.
Illae iam sine me norant placare puellam,
Et quaedam sine me uerba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum:
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerint mandata tabellis,

VAR. LECT. 34 Nec **F N**: Non **D V** ‖ 35 pelice **N**: pellice **O** | uino **N** ‖ 36 Ac *scripsi*: Aut **O** ‖ *post* 36 *aliquid intercidisse suspicatur Liuineius* ‖ 37 senis **O** (*in* **N** *suprascr. m. ead.* cinis); Scinis *Beroaldus* Sinis *posteriores* | et *om.* **F** | non *om.* **F**, *add. mg. m. 2* | grais, *ita* **O** ‖ 38 Saxaque curuantes **V** *mg. m. 2*; curtatas *Puccius* | fatta (tt *ex corr.*) **F**; *malim* in fera fata ‖ 39 pulcerima **F** ‖ 40 Hic *ex* Hec *corr.* **F** ‖ 41 ciues *corruptum*; cursus ς uia fert *Heinsius* uires *Burmannus* | penatum *scripsi Misc. Crit. p.* 106: nepotum **O**

XXIII. *Noua elegia cum titulo* de tabulis perditis *in* **O** ‖ 1 uobis **F** *m. 1* ‖ 2 tot] non **F** ‖ 3 uestris **F** nostras **N** *m. 1* | defuerit **F** ‖ 4 non] modo **V** *mg. m. 2* ‖ 5 puellam ς: puellas **O** ‖ 11 fuerint **N**: fuerant **O** fuerunt *alii*

'Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quae uisa est formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta iacis?'
Aut dixit 'uenies hodie, cessabimus una:
Hospitium tota nocte parabit Amor',
Et quaecumque calens reperit non stulta puella,
Garrula cum blandis dicitur hora notis.
Me miserum, his aliquis rationem scribit auarus,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro:
Quis pro diuitiis ligna retenta uelit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

XXIV.

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te uaria laudaui saepe figura,
Ut, quod non esses, esse putaret amor:
Et color est totiens roseo collatus Eoo,

VAR. LECT. 12 eri **F** *m. 1* ‖ 13 At **V** *m. 2* | et tu *Guyetus* ‖ 14 bene ς: bona **O** (*etiam* **N**), *quod poterit retineri si* crimina, ficte, iacis *praefers* | de bonis **F** *m. 1* ‖ 15 dixit ς: dixi **O** dixti ς | uenias *Itali* | cessabimus ς: cessauimus **O** ‖ 16 parabit *Heinsius*: parauit **O** ‖ 17 calens *scripsi*: dolens **O** uolens *Itali* ‖ 18 dicitur ς: ducitur **O** | notis (*coll. Ouid. A. A* III 624) *Fonteinius*: dolis **O** iocis *Itali* ‖ 19 rationes *Marklandus* | auarus ς: auari **O** ‖ 20 duras **O**: diras **F** *m. 2*, **N** | epemer. (*suprascr.* hi *m. 2*) **F** ephimer. **D**, **V** *m. 1* ‖ 31 retulit et (et *suppunctum*) **F** ‖ 22 ligna *Beroaldus*: signa **O** ‖ 24 exquiliis **F** ęsquiliis **V**

XXIV. *Noua elegia cum titulo* ad amicam superbientem (ad cynthiam **D**) *in* **O** ‖ 2 oculis — tuis *Burmannus* elegis — meis *Schraderus bellissime* ‖ 5 Fictam *Heinsius*; *praeplacet* His tam ‖ 6 esses **F** *m. 2*, **N**: essem **F** esset **D V** (**F** *mg. m. 2*) | esse **V** *mg. m. 2*, **N**: s(a)epe **O** ‖ *post* 6 *distichon ab* Et *incipiens intercidisse putat L. Muellerus*

Cum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quae mihi non patrii poterant auertere amici,
Eluere aut uasto Thessala saga mari,
Haec ego, non ferro non igne coactus et ipse
Naufragus Aegaea, uera fatebor, aqua:
Correptus saeuo Veneris torrebar aheno,
Vinctus eram uersas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Traiectae Syrtes, ancora iacta mihi est.
Nunc demum uasto fessi resipiscimus aestu,
Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono:
Exciderunt surdo tot mea uota Ioui.
Risus eram positis inter conuiuia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui seruire fideliter annos:
Ungue meam morso saepe querere fidem.
Nil moueor lacrimis: ista sum cautus ab arte:
Semper ad insidias, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum iniuria uincet:
Tu bene conueniens non sinis esse iugum.
Limina iam nostris ualeant lacrimantia uerbis,
Nec tamen irata ianua fracta manu.

Var. lect. 9 Quae *Guyetus*: Quod O | potuerunt F, *mg. m. 2* poterat ‖ 10 Eluere D V (F *m. 2*): Fluere F N | tessala F ‖ 11 ipse *scripsi*: ipsa O ‖ 12 egea F | uera *Passeratius*: uerba O | fatebor O: fatebar ς ‖ 13 sceuo V *m. 1* | torrebor D V | aeno F N ‖ 14 Victus F N ‖ 15 tetigere] refige F. *corr. mg. m. 2* ‖ 16 sirtes F N | anchora D V ‖ 17 requiescimus *Francius* ‖ 18 Vulnera et F ‖ 19 boua ẹṭ si F | dea es *Itali*: deo est O (domo V *mg. m. 2*) | in] tibi F, *corr. m. 2* | condo *Heinsius* pono *Marklandus* ‖ 20 Exciderunt ς: Exciderant O (Exid. F *m. 1*) Exciderint *Liuineius* ‖ 21 *sqq. cohaerent prioribus in* O, *separauit* V *m. 2* (ad cynthiam *mg.*), *et hinc noua elegia incipit in* N ‖ 21 Visus (V *ex* R *corr.*) V ‖ 25 morior F *m. 1* | cautus *Heimreichius*: captus O ‖ 26 ad insidias *scripsi*: ab insidiis O in insidiis *Burmannus* | ferre F, *corr. mg. m. 2* | solem (t *supra* m *m. 2*) F ‖ 27 uincet ς: uincit O ‖ 28 esse O: ire V *mg. m. 2*, N ‖ 29 Limina F *m. 2*, N: Lumina O | halantia sertis *Heinsius* (fragrantia sertis *Wassenbergius*) iam lacrimis ualeant manantia nostris *Burmannus* ‖ 30 tamen *non intellego*; *puto* iamiam (*h. e. et ualeat ianua non abhinc fracta*)

At te celatis aetas grauis urgeat annis,
Et ueniat formae ruga sinistra tuae.
Vellere tum cupias albos a stirpe capillos
A! speculo rugas increpitante tibi,
Exclusa inque uicem fastus patiare superbos,
Et quae fecisti facta queraris anus.
Has tibi fatalis cecinit mea pagina diras.
Euentum formae disce timere tuae.

VAR. LECT. 33 tum **F** *m. 2*, **N**: cum **O** | cupias **D**: capias **F N** cupies **V** | albosa **N** ‖ 34 A **F N**: Ah **D** A≡ **V** | sepulo **V**, *corr. mg. m. 2* ‖ 35 uices **F** *m. 2* | patiere **D V** ‖ 36 Ut **D** | quereris **V** *solus* (*non* **N**) ‖ 37 dira **F** *m. 1* ‖ 38 formae *totum in ras.* **V**, **F** *mg. m. 2*, **N**: dñe **F** dominae **D**

SEX. PROPERTII ELEGIARUM

LIB. QUARTUS.

I.

Hoc, quodcumque uides, hospes, qua maxima Roma est,
  Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit;
Atque ubi Nauali stant sacra Palatia Phoebo,
  Euandri profugae concubuere boues.
Fictilibus creuere deis haec aurea templa:
  Non fuit obprobrio facta sine arte casa,
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
  Et Tiberis nostris aduena bubus erat.
Qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
  Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
  Pellitos habuit rustica corda patres.
Bucina cogebat priscos ad uerba Quirites:
  Centum illi in prato saepe senatus erat.

Test. IV. 1, 11—14. Lactantius instit. II 6: 'de quo senatu Propertius, elegiarum scriptor, haec loquitur: Curia — senatus erat'. — u. 13 etiam Isidorus Orig. XVIII 4 affert.

Var. lect. Explicit liber tertius incipit quartus **F** Propertii Aurelii Nautae liber quartus incipit ad hospites **D** *litt. maiusc.*; *titulo carent* **V** *et* **N** ‖ I. 1 qua *Scioppius aliique*: quam **O** | est *om.* **F** ‖ 2 frigem **F** phryge **N** | (a)eneam **F V** (a)eneā **D N** Aenean ς | erba **F** *m. 1* ‖ 3 phebe **F** *m. 1* ‖ 4 procubuere *Itali* ‖ 6 Non **O**: Nec **V** *m. 2*, **N** | oppr. **D V** ‖ 7 Tarpeusq; **F** Tarpetiusq; **N** | fouebat **F** (*corr. mg. m. 2*); *unde* fauebat *conicias* ‖ 8 tiberys **F** tyberis **V** | bubus **F** *mg. m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: tutus **O**, *unde conicias* temptus *coll. Ouid. Fast.* V 642 | 9 Qua ς: Quo **O** (Quod **N**) ‖ 13 Bucina **N**: Buccina **O** | ad septa *Heinsius* ad iura *Fonteinius* ‖ 14 imprato **F** | erant ς

Nec sinuosa cauo pendebant uela theatro,
  Pulpita sollemnis non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere diuos,
  Cum tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuaque accenso celebrare Palilia faeno,
  Qualia nunc curto lustra nouantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
  Ducebant macrae uilia sacra boues.
Parca saginati lustrabant compita porci,
  Pastor et ad calamos exta litabat ouis.
Verbera pellitus saetosa mouebat arator,
  Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
  Miscebant usta praelia ficta sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lycmon

*

*   *

  Magnaque pars Tatio rerum erat inter oues.
Hinc Titiens Ramnesque uiri Luceresque coloni,
  Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parua minus urbe Bouillae,

Var. lect. 15 cauo *supra lin. m. 2* **F**, **N**: *om.* **F** suo **D V**; *fortasse* alto || 16 sollempnis **N** solemnis (*alt.* l *m. 1 supra lin.*) **V** sollennis **D** solemus **F** (*mg. m. 2* ut solemnis) || 17 diuos] os *m. 2 add.* **V** || 18 credula *Liuineius* || 19 Annua at *Lachmannus* Annuaue *J. H. Vossius* | accenso] acorusco **F**, *corr. mg. m. 2* | celebrate **D** | palilia **D V**: parilia **F N** | feno **D F** || 20 curto **O**: curuo **V** *mg. m. 2* || 21 Vestra **F** (r *m. 2 suppuncta*), **N** || 22 iulia **N** || 23 Parca *scripsi*: Parua **O** Pauca *Lachmannus* | sagina **F** *m. 1* || 24 excalitabat **D** (*fort.* **V** *m. 1*, *in quo* ta *in* exta *in ras.*) | libabat **F** || 25 Vellera ς *Heinsius* | setosa **O** || 26 licens **D N V**: lyceus **F** | habet *om.* **F**, *add. m. 2* || 27 miles infestis rudis **F** | in festis **V** || 28 ficta *scripsi*: facta **O** nuda **V** *mg. m. 2*, **N** (*unde* cruda *A. de Rooy*) || 29 licmon ς: ligmon **O** lygmon **N** Lucmo *Scaliger* || *inter* 29 *et* 30 *in* **O** *cohaerentes interstitium posuit Lachmannus* || 30 statio (s *suppuncta*) **F** tacito **N** || 31 ticeus (i *supra lin.*) **F** ticiens **V** titiens **N** taciens **D** Tities *uulgo* | rampuesq; **F** rannesq; **V** *m. 2* | soloni **N** || 32 Quatuor **O**, *corr.* **V** *m. 2* || 33—36 *interpolatos habet Eschenburgius*; *uu. qui sunt in* **O** 34 *et* 36 *transposuit L. Muellerus*, *qui et ante* 33 *aliquid intercidisse censet* || 33 parua minus **O**: parua eminus *Lachmannus* (parue minus ς) | Bouillae *Itali*: uiol(a)e **O**

36 Ac tibi Fidenas longa erat ire uia;
35 Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
34 Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi.
37 Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus:
Sanguinis altricem non patet esse lupam.

*

* *

Huc melius profugos misisti, Troia, Penates,
Huc quali uecta est Dardana puppis aue!
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni uenter apertus equi,
Cum pater in nati trepidus ceruice pependit,
Et uerita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi uenere Deci Brutique secures,
Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,
Arma resurgentis portans uictricia Troiae.
Felix terra tuos cepit, Iule, deos,
Si modo Auernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Auentino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina uatis
Longaeuum ad Priami uera fuere caput,
'Vertite equum, Danai! male uincitis: Ilia tellus
Viuet, et huic cineri Iuppiter arma dabit.'

Var. lect. 35 uata **F** ‖ 36 Ac tibi *scripsi*: Hac ubi **O** Hac tibi ς Atque ibi *L. Muellerus* | longa — uia ς: longe — uias **O** | isse **N** ipse **V** *mg. m. 2* ‖ 37 patruum **F** | nomen] uerum **F**, *corr. mg. m. 2* | alumpnus **F N** ‖ 38 patet *scripsi*: putet **O** pudet *uel* putat ς ‖ 39 *sqq. cohaerent prioribus in* **O**, *interstitium posuit Lachmannus* ‖ 40 Huc *scripsi*: Heu **O** En ς O *uulgo* | qī = quasi (*mg. m. 2* quali) **F** | pupis **F** ‖ 41 Quam bene *Fonteinius* | omina **V** *mg. m. 2*, **N**: omnia **O** | quod] *puto* quom | illos *Schraderus*: illam **O** ‖ 42 ambięgui **F** ambigui (*mg. pro uar. lect.* abiegni) **D** | uentus **F**, *corr. m. 2* ‖ 43 nati, *ita* **O** | tremidus **F** (*unde* tremulus *Itali*) ‖ 45 Hinc *Heinsius*; *malim* Una | anuum **F**, *corr. mg. m. 2* | decii uenere **F** | deci **D V**: decii **F N** ‖ 48 coepit **D** cępit **N** ‖ 49 Si modo certa olim *Heinsius* | cortyna **V** | sibill(a)e **F N** ‖ 50 *non intellego*; *fortasse* Dixit ab euentu uerba probanda bono (iura pianda *uel* Auentini busta pianda Remi *Fonteinius*) ‖ 51 Aut si] Seu **F**, *corr. mg. m. 2* | rata, n *supra* r *m. 2*, **F** ‖ 54 iupiter **F N** ‖ *inter* 54 *et* 55 *in* **O** *cohaerentes interstitium posuit Lachmannus*

*
* *

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creuerunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio coner disponere uersu:
Ei mihi, quod nostro est paruus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcumque e pectore riui
Fluxerit, hoc patriae seruiet omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes quisquis cernet de uallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma, faue, tibi surgit opus: date candida, ciues,
Omina, et inceptis dextera cantet auis.
Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:
Has meus ad metas sudet oportet equus.

I^b.

Quo ruis inprudens, uage, dicere facta, Properti?
Non sunt a! dextro condita fila colo.

Var. lect. 55 *et* 56 *L. Langium post* 38 *traiecisse refert Heydenreichius* ‖ 55 nutritum **D V** (*in hoc* c *m. 1 suprascr.*) ‖ 57 Munere n. pio c. d. uersus *L. Muellerus*, *sed uereor ne altius inflictum sit uulnus ab eo qui fragmina dissita collegit* | coner **O**: conor ς ‖ 58 Ei **N V** Ey **F** Hei *in ras.* **D** ‖ 60 seruiet **O**: seruiat ς ‖ 61 Emnius irsuta **F** | gingat **N** | *puto* sua tempora oliua ‖ 62 bacce **F** bache **N** ‖ 63 stupefacta *Marklandus* ‖ 65, 66 *interpolatos habet Luetiohannus non sine iuris specie* ‖ 65 quisquis **O** (*nisi quod* quasuis **F**): si quis **V** *mg. m. 2* | cernet **F**: cernit *ceteri* ‖ 66 Ingenium muris — meis *Marklandus* | estimet **N**: extimet **O** ‖ 68 Omnia **D** | inceptis **F** *mg. m. 2*, **N**: incertis **F** in tectis **D V**

I^b. *Adhaeret priori in* **O**; *nouam elegiam hinc incipere significauit Lachmannus* ‖ 71 impr. **D V** | uage **O**: uaga ς fuge *Liuineius* caue *Schippersius* mage *Heimreichius* | facta ς: fata **O**; *sed nuda* fata *non sunt antiqua populi R. fata*, *et carminis heroici mentionem fieri oportet* ‖ 72 a, *ita* **O** | candida *Heinsius*

Accersis lacrimas cantans: aduersus Apollo,
  Poscis ab inuita uerba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus: haut ego uates
  Nescius aerata signa mouere pila.
Me creat Archytae soboles Babylonius Orops
  Horon, et a proauo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
  Inque meis libris nil prius esse fide.
En, pretium fecere deos, et fallitur auro
  Iuppiter: obliquae signa iterata rotae
Felicesque Iouis stellas Martisque rapacis,
  Et graue Saturni sidus in omne caput,
Quid moueant Pisces animosaque signa Leonis,
  Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua

*

* *

Dicam: Troia cades, et Troica Roma resurges,
  Et maris et terrae longa sepulcra canam.

*

* *

Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos
  (Illa dabat natis arma uetante deo),
Non posse ad patrios sua pila referre Penates:
  Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.

VAR. LECT. 73 Accersis lacrimas cantans (*i. e. rem doloris tibi plenam incipis heroica cantando*) *scripsi*: Accersis lacrimas cantas **O** Auersis Charisin cantas *Heinsius* (rythmis *L. Muellerus*) | aduersus **O**: auersus **V** *m. 2*, **N** ‖ 74 Postis **F**, *corr. mg. m. 2* | pingenda lira **F** ‖ 75 ạḅ auctoribus **F** | haud ς: aut **O** ‖ 76 errata **F** ‖ 77 archite **O** (-tę **V**) | ba-ḅillonius **F** babilonius **N** | orops **O** (horos **N** *m. rec.*): horops ς ‖ 78 Horon **O**: orops **F** *mg. m. 2* Oron ς | canone **D** ‖ 79 Dii **O** Dic **N** ‖ 81 En *scripsi*: In **D F** Nunc **F** *mg. m. 2*, *in rasura* (*ut uid.*) **V**, **N** ‖ 82 Iupiter **F N** ‖ 83 capacis **F**; rapaces *Liuineius* ‖ 85 moneant **D V** (*in hoc* u *m. 1 suprascr.*) ‖ 86 Letus **F** | et] ad **D** | hesperia **N**: experia **F** hexperia **D V** | qui **N** ‖ 87, 88 *hic locum non habere perspexit Scaliger post* 68 *traiciens*; *post* 52 *L. Muellerus posuit* (*tum melius post* 54 *leguntur*); *sed omnia hic incerta, nisi quod post* 86 *haud pauca interlapsa esse mihi constat* 88 sepulcra **O** (-chra **N**): pericla ς ‖ 89 arria **F N** (**V** *mg. m. 2*): accia **D V** (**F** *m. 2*) ‖ 90 dabit **D**

Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cauit equo:
Gallus at, in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris auarae!
Vera, sed inuito contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
'Iunonis facito uotum inpetrabile' dixi:
Illa parit, libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyci Iouis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbraue quae magicis mortua prodit aquis:
Aspicienda uia est caeli uerusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petunda fides.
Exemplum graue erit Calchas: namque Aulide soluit
Ille bene haerentes ad pia saxa rates,
Idem Agamemnoniae ferrum ceruice puellae
Tinxit, et Atrides uela cruenta dedit:
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
Supprime et Euboicos respice, Troia, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuuiis Graecia pressa suis.
Victor Oiliade, rape nunc et dilige uatem,
Quam uetat auelli ueste Minerua sua.

VAR. LECT. 93 eques *Heinsius* ‖ 94 canit **F** *m. 1* ‖ 95 at **F N** (**V** *m. 2*): et **D V** ‖ 96 rostra] signa **V** *mg. m. 2* ‖ 97 Martis auari *Muellerus* ‖ 98 in uno **D** inuito **V** *ut* uito *in ras. m. 2 sit* ‖ 99 cinare **O** | licina **F** *m. 1* | 101 Iunoni ς | facito uotum *Lachmannus* (uotum facito *Burmannus*): facite uotum **O** uotum facite ς | impetr. **D** ‖ 103 Libyci ς: libio **F** (libie *m. 2*) lybie **N** libyae **D V** ‖ 104 Aut **V** *m. 2*, **N**: At **O** | comissos **V** ‖ 105 senserat **V** *m. 2* ‖ 106 Umbraue quae *Turnebus*: Umbraque ne **O** Umbrane quę **N** ‖ 108 petunda **D F**: petenda (*alt.* e *in ras.*) **V**, **N** ‖ 109 calchas **N**: calcas **O** | nam quae **D** (q; *ex* q̄ *corr.* **V**) ‖ 111 agameno (-nie *m. 2*) **F** ‖ et] at *Boltius silu. crit. p.* 79 ‖ 114 emboicos **F** *m. 1* ‖ 116 tuis *Muretus* ‖ 117 o iliade **O** (yliade **F** iliace **V** *m. 2*) ‖ 118 Quam] Qm̄ = Quoniam **F** | sede ς

Hactenus historiae: nunc ad tua deuehar astra:
  Incipe tu lacrimis aequus adesse tuis.
Umbria te notis antiqua Penatibus edit
  (Mentior? an patriae tangitur ora tuae?),
Qua nebulosa cauo rorat Meuania campo
  Et lacus aestiuis ut tepet uber aquis,
Scandentisque Asisi consurgit uertice murus,
  Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa aetate legenda
  Patris, et in tenues cogeris ipse Lares:
Nam tua cum multi uersarent rura iuuenci,
  Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
  Matris et ante deos libera sumpta toga,
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
  Et uetat insano uerba tonare foro:
'At tu finge elegos, pellax opus (haec tua castra),
  Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
  Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi uictrices, quascumque labore parasti,
  Eludet palmas una puella tuas:
Et bene cum fixum mento decusseris uncum,

Var. lect. 119 deuear **F** *m. 1*, **N** ‖ 120 equs **F** (*i. e.* aequs *siue* aeçus) | tuis *Marklandus*: nouis **O**; *at nil noui adfert, sed nunc demum ad rem, quam antea lacrimosam Propertio esse dixerat, transit magus* ‖ 121 uotis **F** *m. 1* ‖ 122 tenditur ora tuae Qua *eqs Marklandus* | hora **F** ‖ 123 Qua ς: Quam **O** ‖ 124 extiuis **F** | ut tepet *scripsi*: intepet **O** si tepet *L. Muellerus* | uber ς, *G. T. Suringar*: umber **O** (*sed* Umbria qua lacus Umber tepet *balbutientis est poetae*) ‖ 125 Scandentis et **F** *m. 1* | Asisi *Lachmannus*: asis **F N** axis **D V** arcis *docti* ‖ 128 Patus **F** *m. 1* | cogerit **F** | isse **F** *m. 2* ‖ 129 cum **F N**: non **D V** (quom *huius mg. m. 2*) | seruarent **F** ‖ 130 parthica **D** pthica (h *suppuncta*) **V** ‖ 131 demissa **F** | aña (*mg. m. 2* aurea) **F** ‖ 133 Tum **V** *m. 2*, **N**: Cum **O** | tibi *om.* **N** | culmine *Burmannus* ‖ 134 uerba] bella *Fonteinius* ‖ *uu.* 135—146 *Apollinis esse uerba agnouit Heimreichius* (135—138 *tantum Luetiohannus*, 139 Nam *in* Iam *mutato*) ‖ 135 At **V** *ex corr.*, **N**: Ac **D** (*et ut uid.* **V** *m. 1*) Et **F** | aelegos **D** | pellax *Heinsius*: fallax **O** ‖ 139 labore] in amore *Luetiohannus* ‖ 140 Eludet ς: Eludit **O** ‖ 141, 42 *post* 146 *traiecerim* ‖ 141 Ed **F** *m. 1* (*num* Sed ?) | bene confixum **O** cum (quom ?)

Nil iuuet hoc: rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque uidebis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.
Nec mille excubiae nec te signata iuuabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.'
Nunc tua uel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cauom tellus diducat hiatum:
Octipedis Cancri terga sinistra time.

II.

Qui mirare meas tot in uno corpore formas,
Accipe Vertumni signa petita dei.
Tuscus ego Tuscis orior, nec paenitet inter
Praelia Volsanos deseruisse focos.
Haec me turba iuuat, nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse uidere forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
Remorum auditos per uada pulsa sonos:

Var. lect. fixum *Beroaldus* (Ut bene conf. *Calderinus*) | mento **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: merito **O** (mer **D** *in ras.*) | decusseris *Broukhusius*: discusserit **O** discusseris ς ‖ 142 Nil iuuet *scripsi*: Nil premit **O** Nil erit **V** *mg. m. 2*, **N** | rostro *Calderinus*: nostro **O** | premet ς: premit **F** premat **D N V** | ansa *Calderinus*: ausa **O** | tuo **N** ‖ 143 uidebit **F** *m. 1* ‖ 144 Gucta **F** | quoque **V** *m. 2*, **N**: quidem **O**; *num* Guttaque item *?* | oculis *om.* **F**, *add. mg. m. 2* | nunc **N** ‖ 145 nullae **D**, **V** *m. 1* ‖ 146 Limina **V** *mg. m. 2*: Lumina **O** | rima *Beroaldus*: prima **O** (*om.* **F**, *add. mg.*) ‖ 148 inhermis **F** ‖ 149 cauom *ego*: cauo **O** (*idem* hiatum) cauum **F** *m. 2 corr.* cauo — hiatu ς | diducat **N**: deducat **O** ‖ 150 Occipidis (*mg. pro uar. lect.* Octipedis) **D**, **V** *m. 1*, *ut uid.* | contra **D** | sinixtra **F**

II. *Noua elegia cum titulo* fabula uertunni (-ūpni **F**) *in* **O** ‖ 1 Qui ς, *Heinsius*: Quid **O** ‖ 2 uertunni (*sic semper*) **D V**, *et ita hic* **N** *qui alias* uertūnus, uertūpni (*semper*) **F** *praeter* 35 | petita *scripsi*: petenda **O** paterna **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N** ‖ 3 Thuscus — thuscis **D V** | *ante* Tuscis *add.* a *uel* et ς ‖ 4 uolsanos **F**: uolsanios **D N V** Volsinos *Itali* ‖ 5 H(a)ec **F N**: Nec **D V** | me **D V**: mea **F N** | heburno **F** ‖ 7 condam **F** | tiberinus **N**: tyberinus **O** ‖ 8 *num* per uada pulla *?*

At postquam ille suis spatium concessit alumnis,
Vertumnus uerso dicor ab amne deus.
Seu, quia uertentis fructum praecerpimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi uariat liuentibus uua racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis et aestiuo mora rubere die.
Insitor hic soluit pomosa uota corona,
Cum pirus inuito stipite mala tulit.
Mendax fama, uaces: alius mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede deo.
Oportuna mea est cunctis natura figuris:
In quascumque uoles uerte, decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puella:
Meque uirum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem et torto frontem mihi comprime faeno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam et, memini, laudabar in illis:
Corbis ab inposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites ago: cum est inposta corona,
Clamabis capiti uina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus inpositis uenor: sed arundine sumpta

VAR. LECT. 9 spatium (*uel* campum) *Heinsius*: tantum **O** | alūpnis **F N** ‖ 11 uertentes **N** | praecerpimus *Fea*: praecepimus **D N V** percepimus **F** ‖ 12 rursus] uulgus ς, *et latere uidetur in hac uoce uitium* (*uaria eaque uana coniecere*) | creditur *Itali* ‖ 15 autūpnalia **F** | poma **V** *mg. m. 2* ‖ 18 prius **V** ‖ 19 uaces **D V**: uoces **F** noces **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N** | falsa es mihi *Lachmannus* ‖ 21 Oportuna **F N** (*et sic passim optimi codd.*): Opportuna **D V** ‖ 22 quascumque *ego*: quacumq; **O** quamcumq; **N** quaecumq; **V** *m. 2 corr.* ‖ 23 cohis **F** chois *ceteri* ‖ 25 feno **D F** ‖ 26 secta **N**: facta **O** ‖ 27 condam **F** ‖ 28 ab **D V**: *om.* **F**, in **V** *m. 2*, **N** | impos. **D V** ‖ 29 ago *scripsi*: ac **O** at **N** | est *om.* **F** | imposta **D V**; *ceterum hoc uocabulum e u. priore repetitum uidetur*; *puto* in fronte ‖ 30 uina] iura **D** ‖ 31 spetiem **D V** | Iacchi *Itali*: achei **O** ‖ 32 phebi **F N** | plecta **F** *m. 1* ‖ 33 Casibus **F** | impos. **D V** | harundine **N**

Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius,
Traicit alterno qui leue pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo praedabor, et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum simulare, uel idem
Sirpiculis medio puluere ferre rosam.
Nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis tumidoque cucurbita uentre
Me grauat et iunco brassica uincta leui:
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Inpositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus uertebar in omnes,
Nomen ab euentu patria lingua dedit;
Ac tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Unde hodie uicus nomina Tuscus habet,
Tempore quo sociis uenit Lycomedius armis
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias, diuum sator, ut Romana per aeuum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant uersus (te, qui ad uadimonia curris,

Var. lect. 34 Fauuor (n *supra alt.* u *m. 2*) **F** Fauor **N** (*unde* Fautor *Conr. Rossbergius*) ‖ 35 *et* 36 *spurios habet Fonteinius* ‖ 35 species **D V** | uerturupuus **F** | eius ς: elus **O** ‖ 36 leue corpus *Heinsius* ‖ 37 hoc] hic *Heinsius* ‖ 39 simulare *Waardenburgius*: curare **O** curuare ς Pastori — certare *Heinsius* | *puto* sed idem ‖ 40 Serpiculis **O** (-lus **V** *m. 2*) ‖ 41—46 *post* 18 *Schraderus*, *post* 12 *traiecit Luetiohannus* ‖ 41 fama **O**: cura **V** *mg. m. 2* ‖ 42 Ortorum **D V** | locata *Luetiohannus* ‖ 43 tumidoq;] t *in ras. m. 2* **V** ‖ 44 grauat *scripsi*: necat **O** notat **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N** Mi nitet *Lachmannus* | uinci **F** *m. 1*, uinco *m. 2*, **N** | bassica **F** *m. 1* | iuncta **F** ‖ 46 Inpos. **N**: Impos. **O** ‖ 47 Sic mihi *editio Annii Viterbiensis*, *Fonteinius* | qui **V**, *corr. mg. m. 2* | uertebar] t *ex* b *corr.* **V** ‖ 49 Ac *scripsi*: At **O** Et **V** *m. 2*, **N** | thuscis **D V** ‖ 50 thuscus **D V** ‖ 51 sociis **N**: sotiis **O** | lycom. **V** *m. 2*, **N**: licom. **O** (licomodius **F** licomediis **V**) Lucumonius *Turnebus* ‖ 52 contulit **D V** | taci **D V** tacii **F N** ‖ 57—64 *spurii uidentur Fonteinio*

Non moror): haec spatiis ultima creta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
Tellus artifices ne terat Osca manus!
Quot me tam docilis potuisti fundere in usus!
Unum opus est, operi non datur unus honos.

III.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Cum totiens absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis;
Ac si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meae dextrae iam morientis erunt.
Te modo uiderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Neuricus hostis equo,
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Postus et Eoa decolor Indus aqua.

Var. lect. 58 creta **O**: meta ς ‖ 59 Stipes **D V**: Stipis **F N** (**V** *m. 2*) | arceruus **F** *m. 1* aceruus **D** ‖ 61 mamuri **D V**: mamurri **F N** | aen(a)e **F N** ‖ 62 arifices **D**, **V** *m. 1* | ne **F** *m. 2*, **N**: me **O** (≡ne **V**) | terrat **F** ‖ 63 Quot *ego*: Quod **D V** Qui **F N** (**V** *mg. m. 2*), *quo seruato* tot docilem *Hertzbergius* ‖ 64 opus (op *in ras.*) **V**, **F** *m. 2*, **N**: usus **D F** (*et sine dubio* **V** *m. 1*); opus: ast *Marklandus* | *puto* datus

III. *Noua elegia cum titulo* epistola (h)aret(h)us(a)e ad licotem (luc. **V**) *in* **O** ‖ 1 Haec *om.* **F N** | Aretusa **D V** Haretusa **F** Harethusa **N** | lycotę **V** *m. 2*: licot(a)e **O** ‖ 2 Cūm] Ne **V** *mg. m. 2* ‖ 3 deerit **O** 4 lictera **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 5 Ac **D**: At **F** Aut (u *fortasse a m. 2*, t *in ras.*) **V**, **N** | ductu *Heinsius* ‖ 7 bactra *in ras. m. 1* **V**: blactra **D F** (*in hoc* l *suppuncta*) | Bactra per ortus *om.* **N** ‖ 8 munito *Beroaldus*: munitus **O** | Neuricus *Jacobus*: hericus **F N** (o *supra* e **F** *m. 2*) hernicus **D** heṇricus **V** Sericus, Noricus *alia docti* ‖ 9 Hyberniq; **D V** | gethae **D** gethe **V** *m. 1* | picto (q; *m. 2 add.*) **F** | curru] uultu *Schraderus* | 10 Postus (*quo illud* Eoa aqua *stabiliatur*) *scripsi*: Ustus **O** (Vastus *A. Palmer male Indum flumen intellegens*) | Eoo — equo *Gruterus* | decolor *Passeratius*: discolor **O**

Haecne marita fides, hae sunt pactae mihi noctes,
Cum rudis urgenti brachia uicta dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab euerso lumina nigra rogo,
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est, nupsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia uota:
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, inmerita qui carpsit ab arbore uallum
Et struxit querulas rauca per ossa tubas,
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num grauis inbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie uultum tenuasse: sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctes induxit Vesper amaras,
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis et auctores non dare carmen aues.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro
Et Tyria in radios uellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat uincendus Araxes,

Var. lect. 11 hae sunt pactae mihi **D V**: et pacate mihi **F** et parce auia **N** (*unde inutilia coniecere*); et *pro* hae **V** *m. 2* ‖ 12 bracchia **D V** (*in hoc prior* c *m. 2 suppuncta*) ‖ 13 omni **F**, *corr. mg. m. 2*; lumen *Liuineius* ‖ 15 stigio **F N** | recta] r^{e}uctis **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 16 Vitta **V** *m. 2*, **N**: Vita **O** ‖ 18 laterua (c *supra* t *m. 2*) **F** ‖ 19 immer. **D V** | quę **N** | sepsit *uel* rasit *Heinsius* ‖ 21 finem **F** *m. 1* | ocno **F N**: oeno **D V** (*huius mg. m. 2* aeno) ‖ 22 *puto* Aeternumque | famen *ex* famem **V** ‖ 23 num **V** *corr.*: dum **O** ‖ 24 imb. **D V** | aterit asta **F** ‖ 25 Sed *uel* At *Fonteinius* ‖ 27 Dicitur et macies *Heinsius* | collum **V** *mg. m. 2* | *malim* tenuatus; at opto ‖ 28 Et **F** *m. 2* | ille **V** *mg. m. 2* ‖ 29 inducit **F** ‖ 31 scindere **D** ‖ 32 Luces **F** *m. 1* ‖ 33 hyb. **D V** | castrentia **F** *m. 1*, **N** | labora **F** *m. 1* ‖ 34 tiria **F** | radios ς: gladios **O**, *quo seruato* suo (*a suendi uerbo*) *Conr. Rossbergius*

Quot sine aqua Parthus milia currat equus.
Conor et e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis et haec docti sit positura dei,
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
Ventus in Italiam qui bene uela ferat.
Adsidet una soror, curis et pallida nutrix
Peierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
Essem militiae sarcina fida tuae,
Nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altas
Aeris in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
Hanc Venus, ut uiuat, uentilat ipsa facem.

*

* *

Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris
Crystallusque tuas ornet aquosa manus.
Omnia surda tacent: raris adsueta kalendis
Vix aperit clausos una puella Lares.
Glaucidos et catulae uox est mihi grata querentis:

Var. lect. 36 Quod **N** | partus millia **F** | errat **D** | equs **N** ‖ 37 Conor *Broukhusius*: Cogor **O** ‖ 38 et Arctoi s. p. soli *Fonteinius* ‖ 39 putus **V** *m. 1, ut uid.* ‖ 41 Assidet **D V** | callida *Heinsius* ‖ 42 Deierat *Liuineius* | hyb. **D V** ‖ 43 ypolite **F N** hippolite **V** (hypp. *m. 2*) | mamilla **V** *mg. m. 2* ‖ 47 cithie (s *praefixit m. 2*) **F** | altas **O**: Atlas *Itali* ‖ 48 Aeris *ego*, *Conr. Rossbergius*: Africus **O** (Affr. **F N**) Aeolus *Fonteinius* Arctoo *Lachmannus* Tetricus *Schneidewinus* Aetheris *L. Muellerus* ‖ 49 sed in apta coni. *Schraderus* deserta in coni. *Burmannus* sed aperte in coni. *Lachmannus* ‖ 50 faciem (i *suppunxit m. 2*) **V** ‖ *post* 50 *lacunam indicauit Luetiohannus* ‖ 51 tibi **O**: te **N** si *Heinsius* ‖ 52 Crist. **F** Chrystalusq; **D** | tuas **O**: meas **N** suas *Broukhusius* ‖ 53 raris **O**: rarisq; **F** *m. 2*, **N** | assueta calendis **F**; radiis assueta colisque *Heinsius* lanisque assueta colendis *Schraderus*; *sed cum* rarae Kalendae *sine offensione sint*, *equidem* raris absueta *uel potius* raris desueta Kalendis *malim* 54 laros **N** ‖ 55 Glaucidos *Scaliger*: Graucidos **D F** Craucidos (*ita ut* C *ex* G, u *ex* n *correctum uideatur*) **V** Graucidos **N**

Illa tui partem uindicat una toro.
Flore sacella tego, uerbenis compita uelo,
Et crepat ad ueteres herba Sabina focos.
Siue in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu uoluit tangi parca lucerna mero,
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad noua lucra popae.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris
Raptaue odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortae sparguntur pondera fundae,
Subdolus et uersis increpat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantis hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserua foedera lecti:
Hac ego te sola lege redisse uelim.
Armaque cum tulero portae uotiua Capenae,
Subscribam 'saluo grata puella uiro'.

IV.

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
2 Fabor et antiqui limina capta Iouis.
7 Hunc Tatius montem uallo praecingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.

Var. lect. 56 uendicat **F** *m. 2* | thoro **F N** tori **V** *m. 2* ‖ 59 finitimo *et* **F** *et* **V** *mg. m. 2*, **N**: furtiuo **D V**, *et ita ex* funtiuo *m. 1 corr.* **F** | genuit **F** *m. 1* | tecto *Burmannus* ‖ 60 tingi *Itali* | pauca **F** *m. 2* 61 hornis **D V** (*in hoc* h *suppuncta*): ornis **F N** | denūptiat **F** | agnis] anguis **F** *mg. m. 2* ‖ 62 succinctiq; *Itali*: succint(a)eq; **O** succincteq; **F** *m. 2*, **N** | popo **F** *m. 1* ‖ 63 battris **F** ‖ 66 auersis *Fonteinius* | recrepat **F** *m. 1*; *unde* auersis et crepat *conicias* ‖ 67 sic **V** *m. 2*, **N**: sit **D V** sint **F** | alūpnis **F N** ‖ 71 capen e **F** capinę **N**

IV. *Noua elegia cum titulo* fabula tarpei(a)e *in* **O** (tarpeiae mors **V** *m. 2*) ‖ 1 Tarpeum **F** *m. 1* | tarpelle (-peie *m. 2*) **F** tarpelę **N** | turpe] pulcre **F** *m. 1* | sepulchrum **N** ‖ 2 lumina **F** *m. 1* ‖ *uu.*, *qui sunt in* **O** 3—6, *post* 12 *traieci* ‖ 7 tacius **F N** | montem *Heinsius*: fontem **O** ‖ 8 Fixaque *Canterus* | subgesta **F**

Quid tum Roma fuit, tubicen uicina Curitis
10 Cum quateret lento murmure saxa Iouis?
13 Murus erant montes; ubi nunc est curia septa,
14 Bellicus ex illo fonte bibebat equus;
11 Atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
12 Stabant Romano pila Sabina foro.
3 Lucus erat felix hederoso concauus antro,
Multaque natiuis obstrepit arbor aquis,
5 Siluani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
6 Fistula poturas ire iubebat oues.
15 Hic Tarpeia deae fontem libauit; et illi
Urgebat medium fictilis urna caput.

*

* *

Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae uoluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis
20 Pictaque per flauas aera leuare iubas.
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa inmeritae causata est omina lunae
Et sibi tingendas dixit in amne comas;
25 Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,

Var. lect. 9 tum **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: cum **O** | tubicen *ex* tubicem **V** | Curitis *siue* Quiritis *Bergkius*: Curetis **O** ‖ 10 Tum **D** Cum *ita ut* Cı *ex corr. sit* **V** | cateret (p *supra* c *m. 2*) **F**, *corr. mg. m. 2* | saxa *et* **F** *et* **V** *mg. m. 2*, **N**: facta **O** (*ex* sacsa?) ‖ *uu., qui sunt in* **O** 11, 12 *et* 13, 14, *inter se transposuit nescio quis* ‖ 13 est ur curia **V**; nunc sunt Iulia septa *Fonteinius* ‖ 14 ex alto *Fonteinius* e uino *Waardenburgius* ‖ 11 Ac ubi **D**, **V** *m. 1* ‖ 12 foro **F** *m. 2*, **V** *corr.*: foco **O** ‖ 3 Luctus (t *suppuncta*) **F** | oderoso **F**; *num* operoso? | concauus *scripsi*: conditus **O** consitus ς ‖ 4 Multa ubi ς ‖ 6 uidebat **V** *mg. m. 2* ‖ 15 Hic ς: Hinc **O** | carpella (r *m. 2 suppunxit*) **F** (tarpea *mg. m. 2*) tarpela **N** | et *Fonteinius*: at **O** ‖ *post* 16 *lacunae signa posui* ‖ 17, 18 *post* 92 *posuit Broukhusius*, *Lachmannus hic retinens* 17 *ita scribit* Ei (*melius* A!) scelus! urna m. p. sors e. p.; *si de transpositione mauis cogitare, aptus erit locus post* 44 (potuit *in* poterit *mutato*) ‖ 19 tacium **F N** | 20 aera (*uel* ora) *Heinsius*: arma **O** ‖ 23 immer. **D V** | c̃ata **F** (causata *mg. m. 2 superflue*) | omina **V** *corr.*, **N**: omnia **O** ‖ 24 tinguendas **N** | 25 blandita *J. H. Vossius* | nimphis **F N**

Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis,
Et sua Tarpeia residens ita fleuit ab arce
Vulnera, uicino comperienda Ioui.
'Ignes castrorum et Tatiae praetoria turmae
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad uestros sedeam captiua Penates,
Dum captiua mei conspicer esse Tati.
Romani montes et montibus addita Roma
Et ualeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reportet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.
Quid mirum in patrios Scyllam saeuisse capillos,
Candidaque in foedos inguina uersa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cum patuit lecto stamine torta uia?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba uirgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.
Cras ut rumor ait tota cessabitur urbe:
Tu cape spinosi rorida terga iugi.
Lubrica tota uia est et perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!

Var. lect. 26 tati **V** *corr.*: taci **D V** tacii **F N** ‖ 27 primo — Eoo *Heinsius* (*peius* primo — somno *Marklandus*) ‖ 28 Retulit irsutis **F** | bracchia **O** (*non* **N**) ‖ 30 comperienda *scripsi*: compatienda **O** non patienda **V** *mg. m. 2*, **N** ‖ 31 tacie **F N** | turmae] tur *in ras. m. 2* **V** ‖ 32 famosa **F N**, *unde* damnosa *conicias* ‖ 33 O *om.* **F** ‖ 34 esse **O**: arma **V** *mg. m. 2* (ora *Gronouius*) | taci **D** rati **F** (tacii *mg. m. 2*) ‖ 35 abdita **V** *m. 2* ‖ 37 reportet *Dousa pater*: reponet **O** (rependere **F** *m. 1*) ‖ 38 dextra ς pexas *Burmannus* | colat **F** *m. 1* ‖ 39 sillam **F** | scaeuisse **V** ‖ 40 foedos *Heinsius*: s(a)euos **O** rabidos *Burmannus* ‖ 42 recto ς tecto *Fruterius* | stramine **O** (r *suppunxit et* **F** *et* **V** *m. 2*, *unde* stamine **N**) 45 Pallados **F N**: Palladis **D V** Palladii *Fonteinius* ‖ 47 cessabitur *A. Palmer*: pugnabitur **O** ‖ 48 cape **O**: caue **F** *m. 2* | terra **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 49 *malim* iacentes (calentes *Fonteinius*)

Hanc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.
Sim compar patiare, tua regina sub aula:
Dos tibi non humilis prodita Roma uenit.
Si minus, at raptae non sint impune Sabinae:
Me rape, et alterna lege repende uices.
Commissas acies ego possum soluere nupta:
Vos media palla foedus inite mea.
Adde Hymenaee modos, tubicen fera murmura conde:
Credite, uestra meus molliet arma torus.
En, iam quarta canit uenturam bucina lucem
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt:
Experiar somnum, de te mihi somnia quaeram:
Fac uenias oculis umbra benigna meis.'
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse nouis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela fauillae,
Culpam alit et plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta

VAR. LECT. 51 magine **N**; sagae — Marsae *Burmannus*; *puto* magici — mustae (mystae) ‖ 52 Hanc *scripsi*: H(a)ec **O** Hac (*scil.* uia) *Marklandus* Nunc *uel* Sic *Fonteinius*, *qui et* naenia ferret; *et certe* tulisset *mirum est* ‖ 55 Sim compar *scripsi*: Sic hospes **O** Si sim, hospes, patiare *Canterus* Dic, hospes: spatiorne tuam — aulam *Heinsius* Sim coniux (*ita* ς) *uel* Sim consors pariamque *Fonteinius*, *alii alia* | patiare **D V**: patrianne **F** pariam (*et* ne te *pro* tua) **V** *mg. m. 2* pariamne **N** | regna **F** *m. 1* ‖ 57 Sin *Itali* | at **F** aut **N**: ac **D V** (*hic in* at *corr.*) | non **O**: ne **V** *m. 2*, **N** ‖ 59 nupta *Luetiohannus* (*iterumque Maduigius*): nupt(a)e **O** ‖ 60 Dos **F** *m. 1* | media *scripsi*: medium **O** ‖ 61 imenee **F** himinee **N** | crede **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 62 thorus **F N** ‖ 63 En *ego*: Et **O** At *Fonteinius* Set *Luetiohannus* | bucina **N**: buccina **O** ‖ 64 occeanum **O**, *corr.* **V** *m. 2*, **N** | lassa **V** *mg. m. 2* ‖ 65 sōpnia **F** ‖ 66 uenias oculis **V** *m. 2*, **N**: oculis uenias **O** (nimias **F** *m. 1*) ‖ 67 bracchia **D**, **V** *m. 1*; lumina *uel* pectora *Marklandus* | sōpno **F** ‖ 68 se furiis *Liuineius*: nefariis **O** uae furiis *Jacobus* ‖ 69 ueste **F** | felix] praesens *Fonteinius* | famille **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 70 Curam alit et diras *Heinsius* | 71 Inde ruit *Fonteinius*; *malim* Illa furit | thermodonta **V** *m. 2*: termodoonta **O** thermodoonta **N**

Strymonis abscisso pectus aperta sinu.
Urbi festus erat (dixere Palilia patres:
Hic primus coepit moenibus esse) dies,
Annua pastorum conuiuia, lusus in urbe,
Cum pagana madent fercula deliciis,
Cumque super raros faeni flammantis aceruos
Traicit inmundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decreuit in otia solui
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata conuenit hostem:
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, ...
. . . .
. . . . festoque remissis:
Nec mora, uocales occupat ense canes.
Omnia carpebant somnos: sed Iuppiter unus
Decreuit poenis inuigilare suis.
Prodiderat portaeque fidem patriamque iacentem,
Nubendique petit, quem uelit ipse, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
'Nube', ait 'et regni scande cubile mei.'
Dixit, et ingestis comitum super obruit armis.
Haec, uirgo, officiis dos erat apta tuis.
Abs te Tarpeius mons est cognomen adeptus:
O uigil, iniuste praemia sortis habes.

VAR. LECT. 72 Strimonis O, *corr.* V *m. 2*, N | abscisso — sinu D V: absciso — sinu F N abscissos — sinus *Broukhusius* (abscisos *Lachmannus*) | pectus *Hertzbergius*: fertur O || 73 parilia F N || 74 Hi primus cępi N || 75 urbi N; herba *Fonteinius*; *puto* aruis || 76 manent F *m. 1* | delitiis V *mg. m. 2*: diuitiis O (-ciis V *m. 1*) || 77 raros] sacros *Burmannus* | feni D F || 78 Trahicit F | inmundas (in mundas D V, imm. V *m. 2*) — dapes O; pedes *corr. Itali* || 79 ocia F N || 81 H' = Haec F || 83 *inter* dubius *et* festoque *lacunam significaui*; Mons erat ascensus, dapibus f. remissus *Jacobus* | remissis O: remissus *et* F *et* V *m. 2*, N || 85 carpebant *Luetiohannus*: praebebant O cedebant somno *Fonteinius* praebebant somni *Lachmannus* torpebant somno *Kochius* | iupiter F N || 86 ut uigil. F *m. 1* | suis ς: tuis O || 87 tacentem ς || 88 ipse V *m. 2*: ipsa O | locum V *mg. m. 2* || 89 tacius F N || 93 Abs te *Schippersius*, Tarpeius *Conr. Rossbergius*: A duce tarpeio (-peo F) O tarpeia ς A nece Tarpeiae *Bassanus* || 94 uigil *corruptum?* uirgo *Guyetus* | iniustę N | iniusti — Martis *Burmannus*; *puto* sordis (*i. e. facti sordidi*)

V.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non uis, sentiat umbra sitim,
Nec sedeant cineri Manes, et Cerberus ultor
Turpia ieiuno terreat ossa sono.
Docta uel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper auis,
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lasciuo cogeret Antinoo.
Illa uelit, poterit magnes non ducere ferrum
Et uolucris nidis esse nouerca suis.
Quippe et, Collinas ad fossam mouerit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.
Audax cantatae leges inponere lunae
Et sua nocturno fallere terga lupo,
Posset et intentos astu caecare maritos

*

* *

Cornicum inmeritas eruit ungue genas,
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes fetae semina legit equae.

Var. lect. V. *Nouum carmen in* O (ad laenam D V, *om.* F, *in quo prioribus adhaeret hoc carmen, sed litt. initiali distinctum*) ‖ 1 laena D V (*semper*) | sepulchrum N ‖ 22 quam meruit *Broukhusius* quod nolis *Burmannus* quod nunc es *Fonteinius* ‖ 3 et D N V (F *m. 2*): *om.* F at *uel* sed ς ‖ 5 Docta *et* F *et* V *mg. m. 2*, N: Nocte D V Nocto F | ypolitum F N | molire D, V *m. 1* ‖ 6 thoro F N ‖ 7 Penolopẽ F ‖ 8 antiuoo F, *corr. mg. m. 2* antynoo N ‖ 9—12 *spurios putat Luetiohannus* ‖ 9 poterat *Fonteinius* potuit *ego* | magnes inducere F *m. 1* ‖ 10 *fortasse* Quin *et* mouit ut | umbras *Heinsius* ‖ 12 *corruptus*; Stagnaque *edd. priscae* Stagna a curr. *Burmannus* Saxa in currentes dissoluentur aquas *Heinsius*, *qui et* Stagna et c. deficiantur a. | diruerentur *praeterea Burmannus* ‖ 13 cantarę N | imponere D V ‖ 15 Possit ut ς | hastu F ‖ *inter* 15 *et* 16 *aliquid intercidisse puto* ‖ 16 immer. D V in mer. F | eruit in igne F ‖ 18 Hippomanes (a *in ras. m. 2*) V: Ipomanes F Hippomenes D N | foetae D fęte N

Exorabat opus, uermis ceu blandaque rura
Saxosamque forat sedula gutta uiam.
'Si te Eoa per ornatum iuuat aurea ripa
Et quae sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylisque placet Coae textura Mineruae
Sectaque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quae palmiferae mittunt uenalia Thebae,
Murreaque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, prouolue deos, mendacia uincant,
Frange et damnosae iura pudicitiae.
Et simulare moram pretium facit: utere causis:
Maior dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas uexauerit, utilis ira:
Post modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto,
Fac puros simules Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole, contendat Amycle

VAR. LECT. 19 Exorabat **O**: Exornabat *Itali* | uermis *scripsi*: uerbis **O** (*quod cum* exorabat *uulgo coniungunt*) | -que rura *Rossbergius*: perurẹ **D F N** peruret (t *a m. 1?*) **V** *m. 1* (perurat *m. 2*) pererret *Struchtmeyerus* pererrat *Wakkerus* ‖ 20 forat *Rossbergius*: ferat **O** (*nisi quod* feratq; *pro* que ferat **V** *m. 1*) terat *Itali* terit *Wakkerus* ferit *Jacobus* | gutta *Jacobus* (*Philol.* II 460): culpa **O** talpa **V** *m. 2* (*Rossbergius*) lympha ς ‖ 21 per ornatum *scripsi*: derorantum **O** (de ror. **F**) dorozantum **N**; *uaria coniecere, ut* Doanarum *Hertzbergius* Areizantum *Bergkius* Domazanum *Ungerus* ‖ 22 thiria conca **F** ‖ 23 Eurypylisque *Heinsius*: Euripiliq; **F** Eurypiliq; **D N V** | cho(a)e **O** ‖ 24 Sectaq; (c *in ras. m. 2*) **V**, **N**: Sextaq; **D F** Textaque *Itali* Pictaque in Att. patria signa *Slothouwerus* | athal. **F** | thoris **F N** ‖ 25 Seu quae ς: Seu quam **O** Seuq; **N** | mictunt **F** ‖ 26 Mureaq; **D V** Mirreaq; **F**; Murrhinaque *Fonteinius* | partis **F** ‖ 27 mendatia **D V** | micant **F** ‖ 28 Frange et ς: Frangent **O**; *an* Frange ut? ‖ 29 moram *Luetiohannus*: uirum **O** Exstimulare uirum *uel* Et simulare iram *Heinsius* | clausis **F** ‖ 34 Fac puros . . . . sideris esse deos **D** Fac puros sideris esse dies **F** (similes *add. mg. m. 2*) Fac similes (*in ras. m. 1*) puros sideris esse dies (ie *in ras.*) **V**, **N**; Isidis *pro* sideris *emend. Beroaldus*, *deinde* simules *ego post* puros *addidi* (*conflatis scilicet in archetypo* simules isidis *in* sideris) ‖ 35 contendat *Heinsius*: circumdat **F** tibi tondat **D V** tibi tundat **N** | amycle **V** *m. 2*: omicle **F** omincle **D** amicle (a *in ras.*) **V** *m. 1* åmicle **N**

Natalem Maiis idibus esse tuum.
Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quoilibet. has artes si pauet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Lusibus alterius quos putet esse datos.
Nec te Medeae delectent probra sequacis
(Nempe tulit fastus, ausa rogare prior),
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit austeros comis amica Getas.
In mores te uerte uiri: si cantica iactat,
I comes et uoces ebria iunge tuas.
Ianitor ad dantis uigilet: si pulsat inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec attrita si ferat aera manu,
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Caelati medio cum saliere foro.
Aurum spectato, non quae manus adferat aurum.
Versibus auditis quid nisi uerba feres?
'Quid iuuat ornato procedere, uita, capillo
Et tenues Coa ueste mouere sinus?'

TEST. 5, 47 sq. Inscriptio Pompeiana [C. I. L. IV n. 1894]: 'ianitor — seram'.

VAR. LECT. 36 maiis **D**: malis **F N V** | tuuũ **F** ‖ 37 Suplex **N** | posida **F** *m. 1* ‖ 38 Quoilibet *ego*: Quilibet **O** Quidlibet **F** *m. 2*, **N** | panes **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 39 retentes **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 40 Lusibus (*uel* Rictibus) *Guyetus*: Litibus **O** Dentibus *Heinsius* | alterius **D F**: alternis **F** *mg. m. 2*, **V N** | putet, e *ex corr.* **F** ‖ 41 Non **D V** ‖ 43 thais **V** *m. 2*, **N**: thays **F** tays **D**, **V** *m. 1* | speciosa ς ‖ 44 austeros *scripsi*: astutos **O** astutum (*uel* incautum, austerum, adstrictum) — Getam *Fonteinius* | comis amica *Guyetus*: comica m(o)echa **O** (meta **F** *m. 1*) | getes **N** ‖ 45 cantica **O**: brachia *Heinsius* ‖ 46 li **V** ‖ 47 dantis *inscriptio Pomp.*: dantes **O** dantem *Burmannus* | pulsat *inscr. Pomp.*: pulset **O** ‖ 48 in obducta — sera *Marklandus refutante inscriptione Pomp.* ‖ 50 atrita **F** | acra **F N** (era **F** *mg. m. 2*) ‖ 52 Celari **F**, *ut uid.*; Cretati *Passeratius* | saliere **O**: saluere **V** *m. 2*, **N** ‖ 53 adf. **N**: aff. **O** ‖ 55, 56 *ut ex* I 2, 1 *sq. interpolatos del. Scaliger* ‖ 55 uitta **D**, **V** *m. 1* uita *suprascr.* al. uincta **F** ‖ 56 choa **D N**, **V** *m. 1* (*idemque u.* 57 choae) | mouere] tenere **F**

Qui uersus, Coae dederit nec munera uestis,
Istius tibi sit surda sine arte lyra.
Dum uernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati uictura rosaria. Paesti
Sub matutino cocta iacere Noto.'
63 His animum nostrae dum uersat Acanthis amicae,
70 Horruit algenti pergula curta foco.
65 Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cauos,
69 Atque animam in tegetes putrem expirare paternas,
64 Ossaque per tenues sunt numerata cutes.
71 Exequiae fuerunt rari furtiua capilli
Vincula et inmundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Cum fallenda meo pollice clatra forent.
Sit tumulus lenae curto uetus amphora collo:
Urgeat hunc supra uis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis,
Mixtaque cum saxis addite uerba mala.

Var. lect. 57 Qui≡ (*erasa* d) **V** Qui **N**: Quid **DF** ‖ 58 Istius ς: Ipsius **O** | arte **O**: aere **V** *mg. m. 2*, **N** ‖ 59 Dū, ū *ex corr.* **F** ‖ 60 nec quid **V** *m. 2* ‖ 61 odoratum u. r. Paestum *Schippersius coll. Mart.* XII 31, 3; *quod placet* | pesti **O**, *corr.* **V** *m. 2* ‖ 62 cuncta *Wakkerus* stricta *Eldikius* ‖ 63 animum ς: animis **O** animus **V** *suprascr. m. 1*, **N** animos **V** *m. 2* | acanthis **V** *m. 2*: acantis **F** achantis *ceteri* ‖ 64 *et* 70 *qui sunt in* **O** *locum inter se mutare iussit Luetiohannus* ‖ 70 Horrūt **F** | pergula *Scaliger*: percula **D N V** paruula **F** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*) pocula **V** *mg. m. 2* | curta ς: curua **O** ‖ 66 guçtura **F** ‖ 67 Vudi **N** | *puto* rugosum tussi c. collum ‖ 68 canos **F** ‖ 69 patrinas **D V** ‖ 64 Ossaque per tenues *Luetiohannus*: Per tenues ossa **O** Per tenuem ossa mihi — cutem *Jacobus* Ossa inter tenues *L. Muellerus*; *totum uersum eiecit Muretus*; *ante eum aliquid interlapsum putat Burmannus* ‖ 71 fuerant **O**, *corr. Passeratius* ‖ 72 pallia **N** | mittra **F** ‖ 73 minis **F** | exporrecta **V** *m. 2*, **N** ‖ 74 clatra *Beroaldus*: caltra **O** cultra **V** *m. 2* ‖ 75 caedite *Liuineius*: c(a)edito **O** ‖ 76 Mistaq; **F** | addite **O** (e *in* **F** *ex corr.*): adiice ς

VI.

Sacra facit uates: sint ora fauentia sacris:
En cadet ante meos icta iuuenca focos.
Serta Phileteis certet Romana corymbis,
Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date et blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes, alio sint aere noxae:
Pura nouum uati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
Res est, Calliope, digna fauore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Iuppiter ipse uaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iuleae pelagus monumenta carinae,
Nautarum uotis non operosa uia.
Huc mundi coiere manus: stetit aequore moles
Pinea: nec remis aequa fauebat auis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter acta manu:

VAR. LECT. VI. *Cohaeret cum superiore in* **O**, *initium noui carminis significauit* **V** *m. 2* (*et* **N** *mg.*) ‖ 1 facis **V** *m. 2* | sunt **V** *m. 2* ‖ 2 En *Marklandus*: Et **O** | cadet **O**: cadat **V** *m. 2*, **N** | ista **F** ‖ 3 Serta *Scaliger* (*qui et* certent; *at cf.* II 33, 37): Cera **O** Ara *Hauptius* | Philetaeis *Beroaldus*: philippeis **O** | corimbis **F** | cireneas **D F** cyrreneas **V** cyreneas **N** ‖ 5 thuris **D V** ‖ 7 limphis **F** ‖ 8 migd. **D F** ‖ 9 sint atre **F** *m. 1* ‖ *a u.* 11 *nouum in* **O** *carmen* (ad iouem *inscribunt* **D V**), *nisi quod* **N** *tantum in marg. signum habet* ‖ 11 referamus **V** *solus* ‖ 12 caliope **F** | furore **V** *mg. m. 2* ‖ 14 iupiter **F N** ‖ 17 Accia **D V**; Actium *Guyetus* | pelagus] Leucas *Marklandus* portus *uel* Phoebus *Waardenburgius* | monimenta **N** ‖ 18 uia] tuto **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 19 choiere **F** | molles **D** 20 equis **V** *mg. m. 2* ‖ 21 teucro **D**, **F** *m. 2*, **N**: teutro **F** *m. 1* tenero **V** (*et* **D** *mg. pro uar. lect.*) ‖ 22 acta **D V** (**F** *m. 2*): apta **F N** (**V** *mg. m. 2*), *quo retento* femineae *Luetiohannus*

Hinc Augusta ratis plenis Iouis omine uelis,
  Signaque iam patriae uincere docta suae.
Tandem aciem geminos Nereus lunarat in arcus,
  Armorum et radiis icta tremebat aqua,
Cum Phoebus linquens stantem se uindice Delon
  (Nam tulit iratos mobilis unda Notos)
Adstitit Augusti puppim super, et noua flamma
  Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos
  Aut testudineae carmen inerme lyrae,
Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona uultu
  Egessitque auidis Dorica castra rogis,
Aut qualis flexos soluit Pythona per orbes
  Serpentem, inbelles quem timuere deae.
Mox ait 'o longa mundi seruator ab Alba,
  Auguste, Hectoreis cognite maior auis,
Vince mari: iam terra tua est. tibi militat arcus,
  Et fauet ex umeris hoc onus omne meis.
Solue metu patriam, quae nunc te uindice freta
  Inposuit prorae publica uota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
  Ire Palatinas non bene uidit aues.
Et nunc, en, remis audent prope: turpe, Latinos

Var. lect. 23 Hic **V** *m. 2* | angusta rates **N** ‖ 25 aciem **F N** atiem **D V**: acies ς | Nereus ς: neruis **O** | limarat **D**, **V** *m. 1*, **N** ‖ 26 et **O**: q; **V** *m. 2*, *om.* ς | icta *Heinsius*: picta **O** | tremabat **F** *m. 1* ‖ 27 liqueus **F** | iudice *ex* uindice *corr.* **V** ‖ 28 Non **F** *m. 2* | nutos **F**, *corr. m. 2* | unda **O**: una ς illa *Itali* ante *Lipsius*; *at cf. A. Kraffertus Philol.* XXI 356 | nothos **F N** ‖ 29 Astitit **F N** | puppe **F** ‖ 30 simulata **V** (*corr. mg. m. 2*), **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 31 atulerat **F** ‖ 32 Aut] Ad *L. Muellerus* | inherme **F N** | lire **F** ‖ 33 *malim* Stat | quasi **F** *m. 1* | pelopeium agamemnonio **F** ‖ 34 Egissetq; **O**, *corr.* **V** *m. 2* ‖ 35 phithona **F** ‖ 36 imb. **D V** | deae *editor Etonensis*: lyrae **D V** lir(a)e **F N** quom tacuere lyrae *L. Muellerus* ‖ 37 ob longua **F** ‖ 38 Augustae **D** | haector ait **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 39 mihi **V** *mg. m. 2* ‖ 40 umeris **F**: humeris **F** *m. 2*, *ceteri* ‖ 41 iudice **N** ‖ 42 Inp. **N**: Imp. **O** | publica fata *Liuineius* ‖ 43 Quem **F** *m. 1*; Quae ς ‖ 45 nunc en *scripsi*: numen **D V** lumen **F** (**D** *mg. pro uar. lect.*) nimium *et* **F** *et* **V** *mg. m. 2*, **N** | proh turpe ς | Latinos *Marklandus*: latinis **O**

Principe te fluctus regia uela pati!
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: inuito labitur illa mari.
Quodque uehunt prorae Centaurica saxa minantis:
Tigna caua et pictos experiere metus.
Frangit et attollit uires in milite causa;
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tēmpus adest, committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Iulia rostra manu.'
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas:
Sceptra per Ionias fracta uehuntur aquas.
At pater Idalio miratur Caesar ab astro:
'Tu meus, et nostri sanguinis ista fides.'
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, iusso non moritura die.
Di melius! quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Iugurtha uias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Una decem uicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo

VAR. LECT. 47 remiges **F** *m. 1*; remigat ς ‖ 48 inuicto **F** et multo **V** *mg. m. 2* ‖ 49 Centauros *Guyetus* | sassa **F** | minantis **F N**: numantis **D** (*et* **V** *mg. m. 2*) minantes (m *et* e *ex corr.*) **V**, *et* **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 50 pintos (peruictos *m. 2 suprascr.*) **F** | experiere **V** *m. 2*, **N**: experiare **D V** (**F** *mg. m. 2*) expirare **F**; *fortasse* ut p. experiare ‖ 53 comitte **F** ‖ 54 uilia **N** ‖ 56 furit *Heinsius* ‖ 57 plebi (h *supra* l *m. 2*) **F** ‖ 59 italio **N** | miratus *Itali* ‖ 60 Tu meus *scripsi*: Sum deus **O** Tum deus *Lachmannus* | et **D** (**V** *mg. m. 2*): est **F N V** en *Marklandus*; *non commendauerim* es | uestri **D**, **V** *m. 1* ‖ 61 cantu] concha *Dempsterus* | triton, i *ex corr.* **V** ‖ 63 Illa *et* **F** *et* **V** *m. 2*, **N**: Ille **O** | cymba, y *ex corr.* **D** ‖ 64 Hoc unum *corruptum*; *fortasse* Actutum | dye *ex* dee *corr.* **F** diae **V** *m. 1* ‖ 65 Dii **O** | tantus **F** ‖ 66 iugurta **F** ‖ 67 Accius **D V** | int **F** *m. 1* | phoebi[illegible]s **V** (*mg. m. 2* phoebi) | monimenta **N** ‖ 68 sagipta **F** sagita **N** ‖ 69 cecini] tecum **F** | citheram **D**, **V** *m. 1* cytharam **N**

Victor et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant conuiuia luco,
Blanditaeque fluant per mea colla rosae,
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lauet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritet Musa poetis:
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret seruire Sicambros,
Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat,
Hic referat sero confessum foedere Parthum:
'Reddat signa Remi: mox dabit ipse sua;
Siue almus pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter harenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet.'
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Iniciat radios in mea uina dies.

VII.

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit,
Luridaque extinctos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo uisa est incumbere fulcro,

VAR. LECT. 70 coros **F** toros **D** *mg. pro uar. lect.* ‖ 71 ludo *Liuineius* ‖ 72 Blanditaeque *Scaliger*: Blanditi(a)eq; (-ciaeq; **V**) **O** Blandae utrimque *Lachmannus* Languidulaeque *alius doctus* ‖ 73 phalernis **F** ‖ 74 Terq; (T *in ras. m. 2*) **V**: Perq; **O** | cylissa **D V** (*huius m. 2* cal.) ‖ 75 potis **D V**: positis **F N** | iritet **D V**; irritat *Scaliger* ‖ 76 Bacce **F** Bache **N** | solet **F** *m. 1* ‖ 77 sycambros **V** *m. 2* sycanbros **N** ‖ 78 Cephean **F N** | meroen **V** *mg. m. 2*: mereoen **D** meroyn **F** meroin **N** miroin (iroin *in ras. m. 2*) **V** | signa **V** *m. 2* | canas **F** *m. 1* ‖ 79 Hic (i *in ras. m. 2*) **V**, **N**: H' = Haec **F** Hoc **D** Hinc ς | sero (se *in ras. 3 litt.*) **V**, **N**: ferro **D F**; *fortasse* ferro se fessum dedere (confectum *Heinsius*) ‖ 81 almus *scripsi*: aliquis **O** aliquid ς ‖ 82 Differet *Francius* | trophea **O** ‖ 83 arenas **F N** (**V** *m. 2*) ‖ 84 eufratem **D V** eufraten **F** (**V** *corr.*) ‖ 85 noctem *in ras. m. 2* **V**, **N**: uocem **D** uotem (c *suprascr. m. 2*) **F** | pathera **F** | carmina **N** ‖ 86 Iniat **F**, *corr. mg. m. 2*

VII. *Noua elegia in* **O** (de cynthia **D V**) ‖ 1 non letum **F**, *quod signis appos. corr. m. 2* ‖ 2 extinctos *Passeratius*: euinctos **O** eiunctos **N** euictos ς ‖ 3 fulcro] ro *in ras.* **V**

Murmur ad extremae nuper humata uiae,
Cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri uestis adusta fuit,
Et solitum digito beryllon adederat ignis.
Summaque Lethaeus triuerat ora liquor.
Spirantisque animos et uocem misit, et illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:
'Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
In te iam uires somnus habere potest?
Iamne tibi exciderunt uigilacis tecta Suburae
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
Alterna ueniens in tua colla manu!
Saepe Venus triuio commissa est pectore mixto,
Fecerunt tepidas furtaque nostra uias.
Foederis heu taciti, cuius fallacia uerba
Non audituri diripuere Noti!
At mihi non oculos quisquam inclamauit euntis:
Unum inpetrassem te reuocante diem.
Nec crepuit fixa me propter arundine custos,
Laesit et abiectum tegula curta caput.

Var. lect. 4 Marmor **V** *m. 2* Margine in ς ‖ 5 ab exequiis somnus **V** *m. 2 sign. appos.* | amores **N** amarus *Liuineius* ‖ 6 quereret **F** ‖ 7 Hosdem **O** (*et* **N**) | quibus et elapsa **F**, *corr. mg. m. 2* | capillis **F N** ‖ 8 Eosdem **N**: Hosdem **O** ‖ 9 berillon **O**: beryllos **N** | adederat **F N** (**V** *mg. m. 2*): ademerat **D V** ‖ 10 letheus **O** | tinxerat o. color *Schraderus* ‖ 11 *malim* in uocem | et *Heinsius*: at **O** ‖ 13 Sperandae **D** (*et in* **N** *et in* **V** *cauda sub* e *erasa*) Speranda **V** *m. 2* ‖ 15 exciderant **O**, *corr. Scaliger* | uigilacis *in* uigilantis *corr. m. 2* **F** | tecta **O**: furta **V** *mg. m. 2*, **N** | suburae (rae *in ras.*) **V** subu^{r}ę **N**: subure **F** subire **D** ‖ 17 tibi fune *in ras. m. 2* **V** ‖ 19 triuio] tremo **F**, *corr. mg. m. 2* | commissa ς: commixta **O** (-sta **F**) | misto **F** ‖ 20 trepidas **D V** | furtaque *scripsi*: pectora **O** palia **F** *mg. m. 2* pallia **V** *mg. m. 2*, **N**; *fuisse qui* proelia *mallet narrat Luetiohannus* ‖ 22 nothi **F N** ‖ 23 oculos *ex* oculis *m. 1* **N** | inclamauit **O**: inclinauit ς | hiantes *Heinsius* ‖ 24 impetr. **D N V** ‖ 25 fixa **F** (**V** *m. 2*): fissa **D N**, **V** *m. 1* ‖ 26 ut *Heinsius* | abiectum ς *Guyetus*: obiectum **O**

Denique quis nostro curuum te funere uidit,
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
Iussisses, lectum lentius ire meum.
Cur uentos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam graue erat, nulla mercede hyacinthos
Inicere et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina uernae:
Sensi ego, cum insidiis pallida uina bibi.
Haut Nomas arcanas tollat uersuta saliuas:
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quae modo per uiles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum,
Et grauiora iniungit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est;
Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis inmundi uincula sentit anus;
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meae conflauit imaginis aurum,
Ardente e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamuis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.

VAR. LECT. 27 curuum O: curium D *mg. pro uar. lect.* furuum *Heinsius* ‖ 28 inmaduisse ς ‖ 29 pinguit F ‖ 30 Iussisset *corr. m. 1 in* -es N | letum D V ‖ 33 erat N: erit O | nulla] ruina (*suprascr.* al. nimia) F, *corr. mg. m. 2* | hiacintos F hyacinctos N (iacynthos V *mg. m. 2*) ‖ 35—38 *post* 46 *Scaliger*, *post* 76 *Schraderus posuerunt* ‖ 35 Ligdamus V Ligdama (-us *m. 2*) F | uiuet F *m. 1* ‖ 36 *fortasse* Sensi ego eum: insidiis *uel* Huius ego insidiis | infidus F, *corr. mg. m. 2* | pallia N ‖ 37 Haut *scripsi* (*ut* haut tollat *sit* non potest negare): Aut O At (u *suppuncta*) V *m. 2* | archanas (arch *in ras. m. 2*) V archanas N | uersura F | saliuas ς: salinas O ‖ 38 Dicet O: Ducet ς; *malim* Vincet ‖ 39 per uigiles *Fonteinius* ‖ 40 cida designat F, *corr. mg. m. 2* ‖ 41 iniungit *scripsi*: fundit O rependit *et* F *ct* V *mg. m. 2*, N | casillis F, *corr. mg. m. 2* ‖ 42 Garula V ‖ 44 in mundi D V ‖ 45 lalace F N ‖ 46 negare V *m. 2* ‖ 47 *et* 48 *post* 40 *traiecit Schraderus* ‖ 47 paciente D, V *m. 1* | aure F *m. 1* ‖ 48 Ardente (*uel* -ti) ς: Ardent O | ex V *m. 2* ‖ 50 furere F

Iuro ego Fatorum nulli reuolubile carmen,
  Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me seruasse fidem. si fallo, uipera nostris
  Sibilet in tumulis et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem partita per amnem,
  Turbaque diuersa remigat omnis aqua.
Unda Clytaemestrae stupro simul altera Cressae
  Portat mentitae lignea monstra bouis.
Ecce coronato pars altera adacta phasello,
  Mulcet ubi Elysias aura beata rosas,
Qua numerosa fides quaque aera rutunda Cybelles
  Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermestre sine fraude maritae
  Narrant historiae nota pericla suae:
Haec sua maternis queritur liuere catenis
  Brachia nec meritas frigida saxa manus;
Narrat Hypermestre magnum ausas esse sorores,
  In scelus hoc animum non ualuisse suum.
Sic motis lacrimis uitae sacramus amores:

VAR. LECT. 51 Iure **V** *mg. m. 2* | reuocabile *et* stamen ς ‖ *fortasse ante* 55 *excidit distichon huius fere sententiae: nec, si fallo, amplius fruar sede piorum, in qua nunc sum reposta* ‖ 55 partita ς: sortita **O**, *quo retento* geminas sedes *Passeratius* | perannem **N** ‖ 57 Unda *Hertzbergius*: Una **O** | clitemestre **F** clytemestre **N**: clytaemnestrae **D V** | stupro simul *temptaui*: stuprum (strupum **F**) uehit **O**, *quo seruato* atraque *Itali* unaque *Liuineius*, *alii alia* (*ut Hauptius* altera, Cressam portat mentitam *ob omissam copulam intolerabiliter*) ‖ 59 adacta *scripsi*: parta **O** uecta ς lata *L. Muellerus*; *non proposuerim* rapta | phasello **O** (*in* **F** *prior* l *suppuncta*): faselo **N** ‖ 60 lisas **F**, *mg. m. 2* helisias ‖ 61 Que **F** | qua quaerat (quaerar **V** *m. 2*, **N**) ut unda **D N V** quae quaerat nuda (& unda *m. 2*) **F**; quaque aera rotunda *Turnebus* (rutunda *formam sat munitam ego restitui*) | cib. **F** cybeles **N** ‖ 63 Andromedaeq; **V** *m. 2*, **N**: Andromadeq; **F** Andromadaeq; **D V** | ipermestre **F** hypermestrae *ceteri* (*sic et u.* 67) ‖ 64 nota pericla *Heimreichius*: pectora nota **O** pignora nota *Liuineius* foedera nota *Heinsius* uulnera nota *Fonteinius* historias, pectora nota, suas *Marklandus* ‖ 65 Nec **F** *m. 2* | sua maternis *Scaliger*: summa aeternis (eçt. **F**) **O** ‖ 66 Brachia **N**: Bracchia **O** ‖ 69 motis *scripsi*: mortis **O** ortis *Heinsius* moestis *Burmannus* multis *Luetiohannus* | sacramus *scripsi*: sanamus **O** solamur *Passeratius* narramus *Luetiohannus* sancimus *Conr. Rossbergius* sanamus amara *Marklandus*

Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moueris,
Si te non totum Chloridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi auara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu est,
Ne speculum dominae porrigat illa nouae.
Et quoscumque meo fecisti nomine uersus,
Ure: mihi laudes me sine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat aruis
Et numquam Herculeo numine pallet ebur,
Hac carmen media dignum me scribe columna,
Sed breue, quod currens uector ab urbe legat:
HIC TIBURTINA IACET AUREA CYNTHIA TERRA:
ACCESSIT RIPAE LAUS, ANIENE, TUAE.
Nec tu sperne piis uenientia somnia portis:
Cum pia uenerunt somnia, pondus habent.
Nocte uagae ferimur (nox clausas liberat umbras),
Errat et abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethaea ad stagna reuerti:
Nos uehimur, uectum nauta recenset onus.

Var. lect. 72 Si] S; = Set **F** *m. 1* (Et *Heinsius*) | chloridos **V** *m. 2*, **N**: cloridos **O** doridos **V** *mg. m. 2* ‖ 73 in] ut **F** | quod **F** *m. 1* ‖ 74 Phatenie **F** Partheniae *cetcri* | patuit ς: potuit **O**; *num* doluit? | amara ς ‖ 75 latrix **D**, **V** *m. 1* ‖ 78 me sine *scripsi Misc. Crit. p.* 106: desine **O** (Ure mihi: laudes desine *uulgo interpungunt*) ‖ 79 Velle *Passeratius* | quae ex quemque *corr.* **F** | pallente *uel* pungente *Burmannus* nutante *Fonteinius*; *si quid mutandum, malim* pullante ‖ 80 Mollia ς: Molli **O** | cantoris **F** *m. 1* | illigat *Fonteinius* | ossa] çola (*altera* l *suprascr.*) **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 81 Pomosis — spumifer *Broukhusius*: Ramosis — pomifer **O** | anio **V** *mg. m. 2*, **N**: hamo **O** (*sed* h *suprascr. in* **F**) ‖ 82 nomine **V** *m. 2* | hebur **F** ‖ 83 Hac *ego*: Hoc **O** Hic **N** | colūpna **F N** ‖ 84 currus (us *in ras.*) **V** | uector **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: uictor **O** ‖ 85 Hic Tiburtina iacet *Itali*: Sed tiburtina iacet hic **F** Sed tiburna (tyb. **D**) iacet hic **D N** Tiburina u (*hoc totum in ras.*, *et* u *expuncta*) iacet hic **V** hac *pro* hic ς ‖ 86 aniene ς: aniane **D N V** auiane **F** ‖ 87 sōpnia **F** ‖ 91 lethea **O** ‖ 92 onus *om.* **F**, *add. mg. m. 2* ‖ *post* 92 *Fonteinius* 55—70 *inserit*

Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo:
  Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.'
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
  Inter complexus excidit umbra meos.

VIII.

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
  Cum uicina nouis turba cucurrit agris.
Lanuuium annosi uetus est tutella draconis,
  Hic ubi tam rarae non perit hora morae,
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
  Qua penetrat (uirgo, tale iter omne paue)
Ieiuni serpentis honos, cum pabula poscit
  Annua et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae,
  Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a uirgine corripit escas:
  Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum,
  Clamantque agricolae 'fertilis annus erit'.
Huc mea detonsis auecta est Cynthia mannis:
  Causa fuit Iuno, sed mage causa Venus.

VAR. LECT. 93 Nunc **F** *m. 2*, **V** *corr.*, **N**: Nec **O** ‖ 94 mistis **F** ‖ 95 pergit **N**

VIII. *Noua elegia sine titulo in* **O** ‖ 1 quod **F** *m. 1*, **N** | exquilias **F V** | agitarit *Heinsius*; *et certe* fugarit *suspectum* ‖ 2 nouis] *malim* suis ‖ 3 Lanuuium annosi *om.* **F**, *add. m. 2* (*mg. m. 1* non potuit legi in exemplari hoc quod deficit) Laminium **D**, **V** *m. 1* | tutela **F N** (*in* **V** *altera* l *suppuncta*) ‖ 4 Hic tibi tartareae ς Taenariae — ora *Heinsius*; *altius haeret uulnus* | ora **V** *mg. m. 2* ‖ 5 *malim* lacer | arripitur **F** | Qua patet abruptus *Heinsius* ‖ 6 Hac *Heinsius* | penetral *Scaliger* | *nonnulli* uirgo *cum* penetrat *iungunt* | paue *scripsi*: caue **D N V** cane **F** ‖ 7 Ienum **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 8 Annua *ex* Anima *corr.* **F** | ima ς: una **O** | fibula **F** ‖ 10 temere **O**: tremere *et* tenera ς ‖ 11 corripit **V** *mg. m. 2*, **N**: colligit **O** ‖ 13 Si fuerint *corruptum* ‖ 14 Clamant ς Clamante agricola *Broukhusius* ‖ 15 aduecta *et* euecta ς | mannis *Beroaldus*: ab annis **O** ‖ 16 uino **N**

Appia, dic quaeso, quantum te teste triumphum
  Egerit effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
  Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per inpuros frena mouere locos.
Serica nam taceo uolsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes,
Qui dabit inmundae uenalia fata saginae,
  Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro totiens iniuria lecto,
  Mutato uolui castra mouere toro.
Phyllis Auentinae quaedam est uicina Dianae;
  Sobria grata parum: cum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos;
  Candida, sed potae non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
  Et Venere ignota furta nouare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus umbra.
  Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, craterque aestiua supellex,
  Et Methymnaei Graia saliua meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis;

Var. lect. 17 de t. trihumphum **F** ‖ 18 sassa **F** ‖ 21 Spectac☰lum **V** *mg. m. 2*: Spectandum **O** Spectaculum **N** ‖ 22 imp. **D V** ‖ 23 Serica nam taceo *Beroaldus*: Si riganam tacto **F N** Si riga nam tacto **D** Sirica nam tacto **V** (*mg. m. 2* siringa) | nepotis ς: nepoti **O** ‖ 24 molossa **D V**: molosa **F** malosa **N** ‖ 25 in mundae **D V** | facta **F** farta *Itali* ‖ 27 in Iuria **F** ‖ 28 Mutato ς: Multato **F N** Mulctato **D V** | uolui *Beroaldus*: uoluit **O** | thoro **F N** ‖ *a u.* 29 *nouum in* **O** *carmen sine titulo incipit, coniunxerunt Itali* ‖ 29 Phillis **O** ‖ 31 est *a m. 1 om. in uacuo spatio post* inter *add. m. 2* **N** | theia **F** ‖ 33 Hiis **F** | uenire **N** ‖ 34 nouare **F** *m. 2*, **V** *mg. m. 2*, **N**: notare **O** ‖ 35 umbra *Heinsius*: herba **O** ‖ 36 sui **D** ‖ 37 ciatos **F** | craterque *scripsi*: uterque **O** utrique **V** *corr.*, **F** *m. 2*, **N** uitrique *Scaliger* | extiua **D F**, **V** *m. 1* ‖ 38 methiuinei **F** | Graia *Palmerius*: grata **D V** greca **F N** (graeca **V** *mg. m. 2*) | salina **F** *m. 1* ‖ 39 Nilotes *Scaliger*: Nile tuus **O** | crotalistria *Turnebus*: colistria **F** *m. 1* coralistria **D V** (**F** *m. 2*) coristria (h *supra* c *al. m.*) **V** *mg. m. 2* eboralistria **N** | phillis **O** Philis *Scaliger* Phidis *Burmannus*

Haec facilis spargi, munda sine arte, rosa.
Nanus et ipse suos breuiter concretus in artus
 Iactabat truncas ad caua buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
 Reccidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos
 Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
 Lanuuii ad portas, ei mihi, totus eram;
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
 Et leuia ad primos murmura facta Lares.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia ualuas,
 Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
 Pallueruntque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis et quantum femina saeuit,
 Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in uultum conicit ungues:
 Territa uicinas Teia clamat anus.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
 Omnis et insana semita uoce sonat.
Illas direptisque comis tunicisque solutis
 Excipit obscurae prima taberna uiae.
Cynthia gaudet in exuuiis uictrixque recurrit

Var. lect. 40 Haec *scripsi*: Et **O** ‖ 41 Nanus *Beroaldus*: Magnus **O** | concritus (*corr. mg. m. 2*) in arcus **F** ‖ 44 Reccidit **N**: Recidit **F** Decidit **D V** ‖ 45 secundo **F N** ‖ 47 cecho **F** cęto **N** ‖ 48 Lanuuii **V** *corr.*, **N**: Laminii **D**, **V** *m. 1 ut uid.* Lanium **F** | ei **N**: hei **F** (**V** *m. 2*) heu **D V** | totus *Cuperus in Burm. Sylloge epist.* II *p.* 683 (*et sic ipse conieci*): solus **O**; *sed poeta in domo Esquilina positus mente scilicet et cogitatione apud Cynthiam in taberna ad Lanuuii portas sita uersantem erat* | 50 Nec leuia ς ‖ 51 tum **D** | motas *Heinsius* | resūpuiat **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 52 comas *Broukhusius* ‖ 53 recidere **D** cecidere (ce *in ras.*) **V** ‖ 54 Palluerantque **O**, *corr. Liuineius* ‖ 55 oculos **F** | scęuit **V** ‖ 56 Spectaclum **F** *m. 2*: Spectandum **O** Spectaculum **N** | nec **V N**: ne **D** non **F** | 57 Phyll. **V** *m. 2*, **N**: Phill. **O** | ignes **V** *mg. m. 2* ‖ 58 clamat] petebat **D**, uocabat **V** *mg. m. 2* | anus *Itali*: aquas **O** ‖ 59 Lumina] *malim* Iurgia ‖ 60 uoce *Fruterius*: nocte **O** ‖ 61 Illam **F** (**V** *m. 2*) ‖ 63 in exuuiis gaudet *signis appos.* **V** *m. 2*

Et mea peruersa sauciat ora manu,
Inponitque notam collo morsuque cruentat,
Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi iam nostris lassauit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Eruitur, geniumque meum protractus adorat.
Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera ueni,
Cui uix tangendos praebuit illa pedes,
Atque ait 'admissae si uis me ignoscere culpae,
Accipe, quae nostrae formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
Nec cum lasciuum sternet harena forum.
Colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum
Aut lectica tuae se det aperta morae.
Lygdamus in primis, omnis mihi causa querellae,
Veneat et pedibus uincula bina trahat.'
Indixit leges. respondi ego 'legibus utar'.
Risit at imperio facta superba dato.
Dein, quemcumque locum externae tetigere puellae,
Suffiit ac pura limina tergit aqua,
Imperat et totas iterum mutare lacernas,

Var. lect. 64 sautiat **F** | 65 Inp. **N**: Imp. **O** | colla **N** ‖ 67 ibi **D** | brachia **N**: bracchia **O** ‖ 68 fulcra *Beroaldus*: fusca **O** ‖ 71, 69, 70 *ponit* **F**, *sed litteris* a b c *appositis uerus ordo restitutus* ‖ 69 Eruitur **O**: Exuitur **V**, *sed ut* x *in ras. sit* | que *om.* **F**, *add. m 2* | protractus **O**: prostratus ς ‖ 71 tundemum **F** | ueni ς: uenit **O** (*etiam* **N**, *cuius margo hic abscissus, ita habuisse paruum adest signum*) ‖ 72 Cui **D V**: Cur **F** Cum **N** ‖ 73 *post* uis *ras. 2 litt.* **F** | cognoscere **F** *m. 1* ‖ 75 ponpeia **N** ‖ 76 arena **F N** | focum **F** *m. 1* ‖ 77 sumum **D V** | obliquarẹ teatrum **F** ‖ 78 se det *Gruterus et Heinsius*: sudet **O** (*etiam* **N**) sidat *Palmerius* nudet operta *H. A. Kochius* | operta **V** *m. 2* ‖ 79 querellę **N**: querel(a)e **O** ‖ 80 Venerit **D**, **V** *m. 1* (Venerat *m. 2*) ‖ 81 leges ς: legem **O**, *quo seruato* (*cf. u.* 74) *malim* lege tenebor | respondi] dixi **F** ‖ 82 Risit at *Burmannus*: Riserat **O** | rato *Heinsius* ‖ 83 Ve in **F** (D *supra* V *m. 2*) Ve (*om.* in) **D** Dein (D *ex corr.*) **V** ‖ 84 Suffiit ac p. *scripsi*: Sufficat p. **F N** (Sufficiat **V** *mg. m. 2*) Suffocat et p. **D V** Suffit et a p. *Itali* Suffiit at p. *Beroaldus* Suffiit et p. *Heinsius* | lumina **F**, *corr. mg. m. 2* ‖ 85 lacernas **D V**: laternas **F** lucernas **N**

Terque meum tetigit sulphuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto
Lis posita, et solo mouimus arma toro.

IX.

Amphitryoniades qua tempestate iuuencos
Egerat a stabulis, o Erythia, tuis,
Venit ad incultos pecorosa Palatia montes
Et statuit fessos, fessus et ipse, boues,
Qua Velabra suo stagnabant flumine quaque
Nauta per urbanas uelificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumis: furto polluit ille Iouem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora sonos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Auersos cauda traxit in antra boues;
Nec sine teste deo: furem sonuere iuuenci,
Furis et inplacidas diruit ira fores.

VAR. LECT. 86 sulphuris, *ita codd.* ‖ 87 ita] ĩq; **F**, *corr. m. 2* | mundato *Heinsius* ‖ 88 Lis posita *scripsi*: Respondi **O** Et sponda *Heinsius* Et spondis *Marklandus* De sponsis *Luetiohannus* Res pacta *L. Muellerus* | solo *scripsi*: toto **O** tuto *Itali* noto *Heinsius* | mouimus *Heinsius*: soluimus **O** | thoro **F N**

IX. *Noua elegia in* **O** (de hercule et cacho **D V**) ‖ 1 amphitrioniades **O** ‖ 2 Erythia *Turnebus*: eritrea **F** erythrae **D** eritheae **V** erithea **N** ‖ 3 Venit ad incultos *scripsi*: Venit et **O**, *tum* adiutos **F** aduinctos **D** adiunctos **V** (adductos *mg. m. 2*) aduictos **N** Venit ad inuictos *Itali* Venit ad eductos *Lachmannus* | nemorosa **V** *mg. m. 2* ‖ 5 Quam **D V** | uelabra **V** *m. 2*, **N**: ue libra **O** | stannabant **F** stagnabat **D** (-bāt **V**, *ut lineola fortasse a m. 2 sit*) | flumina **N** | quaque ς: quoque **O** (quoquę **N**) ‖ 7 mampserunt **F** | cacho **F** chaco **N** ‖ 8 Incolumes ς ¦ poluit **D N**, **V** *m. 1* | iouem, *ita* **O** ‖ 9 Incola *Itali*: Insula **O** Accola *Schraderus* | cacus **O**: chacus **N** ‖ 10 sonos **O**: focos ς ‖ 11 serta **F**, *corr. mg. m. 2*; *puto* recta forent uestigia signa ‖ 12 Aduersos **F** ‖ 14 et] at *Guyetus* | inpl. **N**: impl. **O** in placidas **V** *m. 2* | dirruit **O**, diruit (*priore* r *suppuncta*) **V** *m. 2*, **N**; *malim* in fractas irruit

Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo
  Cacus; et Alcides sic ait 'ite boues,
Herculis ite boues, nostrae labor ultime clauae,
  Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boues,
Aruaque mugitu sancite bouaria longo:
  Nobile erit Romae pascua uestra forum.'
Dixit ut haec, sicco torquet sitis ora palato,
  Terraque non ullas feta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
  Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae fontesque piandos,
  Inpune et nullis sacra retecta uiris.
Deuia puniceae uelabant limina uittae,
  Turis odorato lux erat igne casa,
Populus et longis ornabat frondibus aedem,
  Multaque cantantes umbra tegebat aues.
Huc ruit in siccam congesta puluere barbam,
  Et iacit ante fores uerba minora deo.
'Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
  Pandite defessis hospita fana uiris.
Fontis egens erro circa arua sonantia lymphis,
  Et caua suscepto flumine palma sat est.

Var. lect. 16 Cachus **F** | ite (*uel* eia) ait *Heinsius* hinc ait *Burmannus* ‖ 17 *totus in ras. m. 1* **V** ‖ 18 Scis mihi **D** ‖ 19 mugite (*corr. m. 2*) et sanctite **F** | bonaria **O**: boaria ς ‖ 21 Dixit ut haec *scripsi*: Dixerat et **O** Dixerat: arenti (*uel* Dixit, at arenti) *Fonteinius* | torquet **O**: torret ς ‖ 22 ≡ullas (*erasa* n) **V**: nullas **O** | fȩta **N V** foeta **D** tosta *Keilius* | ministrat **V** *corr.*: ministret **O** ‖ 23 inclausas **F** ‖ 24 ab] at *uel* ubi *Heinsius* Murus ubi umbrosum sepserat o. n. *praeter alia Fonteinius*: *totus locus corruptissimus* (*fortasse* Limes *pro* Lucus) ‖ 25 casta *et* uerendos *Fonteinius* ‖ 26 Inp. **N**: Imp. **O** ‖ 27 limina **V** *corr.*, **N**: lnmina **O** | uittȩ **N**: uitṛe **F** uitrae **D V** ‖ 28 Turis *Heinsius*: Putris **O** | lux erat *scripsi*: luxerat **O** | casa *licet pro* in casa *accipi possit*, *tamen fortasse praestat datiuum* casae *restituere* ‖ 29 longis] densis *Fonteinius*, *malim* largis ‖ 31 congesta (coniesta **F**) **O**: congesto **V** *corr.* | barbam] *num* faucem*?* ‖ 33 lucis **O**, *corr.* ς | sacra — umbra *uel* sacro — aruo *Fonteinius* ‖ 34 fana *Scaliger*: uana **O** | uiris ς: uiis **O** ‖ 35 circa arua *scripsi*: circaque **O** circoque *Scaliger* (seruoque *H. A. Kochius*) circa antra *Burmannus* ‖ 36 *fortasse* En | succepto **N**

Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alcidem terra recepta uocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clauae
Et numquam ad nocuas irrita tela feras,
Atque uni Stygias homini luxisse tenebras?
— — — — — — — — — — — —
Quod si Iunoni sacrum faceretis amarae,
Non clausisset aquas ipsa nouerca suas.
Sin aliquam uultusque meus saetaeque leonis
Terrent et Libyco sole perusta coma,
Idem ego Sidonia feci seruilia palla
Officia et Lydo pensa diurna colo,
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.'
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos,
Puniceo canas stamine uincta comas.
'Parce oculis, hospes, lucoque abscede uerendo:
Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta uiris metuenda lege piatur,
Quae se summota uindicat ara casa.
Magno Tiresias aspexit Pallada uates,
Fortia dum posita Gorgone membra lauat.
Di tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
Auia secreti limitis una fuit.'

Var. lect. 37 substulit **F** ‖ 38 alcidē **F N V** alcide **D** Alciden *uulgo* | suscepta **N** ‖ 40 nocuas *Santenius*: uacuas **D V** natas **F** uatas **N** uastas *et* notas ς ‖ 41 uni] mu **F** *m. 1* | stigias **F N** ‖ 42 *sic* **O**: Accipit hic (hec **F** *m. 2*, **V** *m. 2* et **N**) fesso (fexo **F**) uix mihi terra patet, *quem u. ex u.* 66 *lacunae supplendae causa interpolatum esse uiderunt Itali*; Accipite ς; *Jacobus* (*Philol.* II 452) *supplet* Oceani tumidas nec timuisse minas, *uu.* 65 *et* 66 *post* 42 *reuocans, recte puto* ‖ 43 Quod **F N**: Quid **D V** ‖ 44 clausisset] *puto* clausum iret ‖ 45 aliquam **F**: aliquem **D N V** | libico **F**, **V** *m. 1* lybico **N** | coma] cutis *Fonteinius*; *conicias* gena ‖ 47 sinonia **F** symonia **N** | pala **V** *m. 1* ‖ 48 lido **F N** | colo **F N** (**V** *corr.*): collo **D V** ‖ 49 irsutum **F** hisutum **V** *m. 1* ‖ 51 ad **F** *m. 1* ‖ 52 uincta **F**: iuncta **D N V** ‖ 54 limina **V** *corr.*, **N**: lumina **O** | linque *om.* **F**, *add. mg. m. 2* ‖ 56 Qua (a *ex corr.*) **V** | undicat **N** ‖ 57 Magno *Passeratius*: Magnam **O** | tyresias **N** ‖ 59 Dii **D V** ‖ 60 Auia] u *corr. m. 2* (*ex* n ?) **F** | fluit *Fruterius*; *sed uel sic locus nondum sanus*; *num* orbe *pro* una ?

Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam ianua clausa sitim.
At postquam exhausto iam flumine uicerat aestum,
Ponit uix siccis tristia iura labris:
'Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: haec fesso uix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus deuota est ara repertis,
Ara per has' inquit 'maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat ueneranda puellis:
Herculis en ueniam nescit inulta sitis.'
73 Huic, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
74 Sic Sanctum Tatiae composuere Cures.
71 Sancte pater, salue, cui iam fauet aspera Iuno:
72 Sancte, uelis libro dexter inesse meo.

X.

Nunc Iouis incipiam causas aperire Feretri,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria uires:
Non iuuat e facili lecta corona iugo.
Inicis exemplum primae tu, Romule, palmae
Huius, et exuuio plenus ab hoste redis,

Var. lect. 62 clausa ianua **F**, *quod signis appos. corr. m. 2* ‖ *uu.* 65 *et* 66 *ante* 33 *traiecit Luetiohannus* (*at cf. ad u.* 42) ‖ 67 Maximaq; **F** | *ante* gregibus *ras. 1 litt.* **V** ‖ 68 inquid **N** ‖ 70 Herculis en ueniam nescit *scripsi*: Hercule exterminium nescit **D F N** Herculis eximii ne sit (*ita ut inde ab* is *omnia in ras. sint scripta et* ext *et* scit *primitus fuisse etiamnunc appareat*) **V** Herculis aeternum ne sit *Heinsius* (Hercle exterminium nescit *Conr. Rossbergius male*) | *disticha quae sunt in* **O** 71 *sq. et* 73 *sq. transposuit Schneidewinus* ‖ 73 Huic *Luetiohannus*: Hunc **O** Nunc *Itali* Hinc *Heinsius* | sanserat **F** senserat **V** *mg m. 2* ‖ 74 Hic **F**, *recte?* | Sancum *Heinsius* | taci(a)e **F N**; Tatii *Scaliger* | coposuere **V** ‖ 71 apera uino **N** ‖ 72 adesse *Itali*

X. *Noua elegia in* **O** (de ioue feretrio **D V**); *in* **N** *adhaeret priori* ‖ 1 Feretri] fateri **N** ‖ 5 Inicis *scripsi*: Induis **O** Imbuis **V** *mg. m. 2*, **N** ‖ 6 exuuio **D V**: eximio **F** (**V** *mg. m. 2*) exuiuo **N**

Tempore quo portas Caeninum Acrona petentem
Victor in euersum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex umeris ausus sperare Quirini
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc uidet ante cauas librantem spicula turres
Romulus et uotis occupat ante ratis.
'Iuppiter, haec hodie tibi uictima corruet Acron.'
Vouerat: et spolium corruit ille Ioui.
Urbis uirtutumque parens sic uincere sueuit,
Qui tulit a parco frigida castra Lare.
Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta compta lupina iuba.
Picta neque inducto fulgebat parma pyropo:
Praebebant caesi baltea lenta boues.
Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
Vincere cum Veios posse laboris erat,
Necdum ultra Tiberim belli sonus, ultima praeda
Nomentum et captae iugera terna Corae.
A, Veii ueteres, et uos tum regna fuistis,

VAR. LECT. 7 ceuinum F | Acrona *Itali*: acronta O; *at uide Bergkium ad monum. Ancyr. p.* 124 | potentem D ‖ 8 in euersum (in e *in ras. m. 2*) V: nec uersum D F N (= O) ‖ 9 ceuina F cecina V *mg. m. 2* ‖ 10 ciuibus *uel* moenibus *Fonteinius* ‖ 11 umeris F *m. 1*, N: humeris F *m. 2*, D V ‖ 13 Nunc D, V *m. 1* | uibrantem *Itali* ‖ 14 ratis ς: rates O (l *supra* r F *m. 2*; deos D *mg. pro uar. lect.*) ‖ 15 Iupiter F N ‖ 16 corruet V *m. 2* ‖ 17 uirtutumq; D V: uirtutemq; F uirtutisq; *et* F *et* V *m. 2*, N; *at cf. Catull.* 68ᵇ, 50 | parens, s *ex corr.* F pares V *mg. m. 2* ‖ 18 a parco *Jacobus* (*Philol.* II 454): aporco F N a porco D aprico (ri *in ras. m. 2*) V, F *m. 2* e paruo *L. Muellerus* ‖ 19 idem et fuit *Liuineius* ‖ 20 hirsutis — iubis ς ‖ *uu.* 20 *et* 22 *inter se transponendi uidentur* (Et *in* Sed *mutato ?*) ‖ 21 inducio F (*mg. m. 2* induto) | flamma V *mg. m. 2* | piropo F piroto N ‖ 23 ueienti D | tolūpni (*mg. m. 2* coloni) F calumni D columni V *m. 1* ‖ 25, 26 *ante* 23 *posuit Passeratius* ‖ 25 tiberim V *m. 2*: tyberim O ‖ 26 et *in ras. m. 2* V | captae D: capta F N, *et* V *ita ut* a *altera in ras. m. 2 sit* | terna ς: terra O parua V *mg. m. 2* pauca ς | chorae V *m. 2* chore N ‖ 27 A Veii *scripsi*: Et ueii D V E (t *suprascripta*) neii F (*idem mg.* et ueii) E ueii N O uehi ς Heu Veii *Luetiohannus* (Vei *L. Muellerus*) | uos tum O: Volscum ς

Et uestro posita est aurea sella foro:
Nunc intra muros pastoris bucina lenti
Cantat, et in uestris ossibus arua metunt.
Forte super portae dux Veius astitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait 'fortis melius concurrere campo'.
Nec mora fit: plano sistit uterque gradum.
Di Latias iuuere manus: desecta Tolumni
Ceruix Romanos sanguine lauit equos.
Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cui uasti parma relata ducis
Virdomari. genus hic Rheno iactabat ab ipso,
Nobilis e uectis fundere gesa rotis.
Illi uirgatas maculanti sanguine bracas
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Haec spolia in templo tria condita: causa Feretri,
Numine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu, quia uicta suis umeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

Var. lect. 29 buccina D V ‖ 30 arma V *mg. m. 2* | metit F *mg. m. 2* ‖ 33 aeno F N ‖ 34 Vineaque inductum ς | tegebat V *m. 2*, N: regebat O ‖ 35 fortis *Marklandus*: forti O ‖ 36 gradum ς: gradu O ‖ 37 Di latias F *mg. m. 2*, N Dii latias D V: Romuleas F (*et* D *mg. pro uar. lect.*) | uiuere N V | tolumni F *mg. m. 2*, V *m. 2*, N: tolinum F columni D, V *m. 1* ‖ 38 equos] agros *Guyetus* | reno F rhoeno D, V *m. 1*; Eridanum *Guyetus* ‖ 40 Belgita F *m. 1* | cui *Guyetus*: cum O ‖ 41 Virdomari *Itali* (Virdum. *alii*): Dutomani F Uncomani D V (*hic mg. m. 2* Vir romani, x *supra* n *scripta*) Virtomane (i *supra* e) N Butoniam D *mg. p. uar. lect.* | rhoeno D, V *m. 1* reno F; Brenno ς ‖ 42 Nobilis ς: Mobilis O (*et* N) | e uectis *scripsi*: effecti O erecti F *m. 2*, N erepti V *mg. m. 2* erectis ς e tectis *Lipsius* erectis — toris *Heinsius* | zesa F caesa D N cesa V (gessa *m. 2*) ‖ 47 *ex Schraderi emendatione dedi*: uirgatis iaculantis ab agmine bracis O (*nisi quod* nigratis F, *idem mg. m. 2* Iurgatis *supra* Iur *scripto* uir, *et* agmina N) ‖ 44 unca] mica F | gula D, V *ex corr.*: gyla F N (*et* V *m. 1, ut uid.*) ‖ 45 Haec D F: Nunc (*totum in ras.*, H *primitus fuit*) V, N Hinc V *mg. m. 2* ‖ 46 Numine *scripsi*: Crimine O Omine V *mg. m. 2*, N ‖ 47 umeris N: humeris *ceteri*

XI.

Desine, Paule, meum lacrimis urgere sepulcrum:
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante uiae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae:
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota mouent superos: ubi portitor aera recepit,
Obserat umbrosos lurida porta locos.
Ut maestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput,
Quid mihi coniugium Pauli, quid currus auorum
Profuit aut famae pignora tanta meae?
Num minus inmites habui Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque leuatur, onus.
Damnatae noctes, et uos uada lenta paludes,
Et quaecumque meos inplicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia ueni:
Deprecor hic umbrae mollia iura meae.
At si quis posita iudex sedet Aeacus urna,
Is mea sortita uindicet ossa pila;
Assideant fratres, iuxta et Minoida sellam
Eumenidum intento turba seuera foro.

Var. lect. XI. *Noua elegia in* O (ad paulum D V [epigramma ad. p. *huius m. 2*]); *cohaeret priori in* N ‖ 1 paule, *sic ubique* O | sepulchrum N ‖ 3 infrenas N | leges] sedes *Heinsius* ‖ 4 excorato (c *deleta*) F | uiae] fores *uel* serae *Heinsius* ‖ 5 furuae *idem* ‖ 7 manent F, *corr. mg. m. 2* | erat (*mg. m. 2* era) F ‖ 8 umbrosos D V: erbosos F herbosos F *m. 2*, N | locos *Marklandus*: rogos O choros *Heinsius* domos *Hemsterhusius* ‖ 9 Ut *scripsi*: Sic O ‖ 10 Detraeret F ‖ 11 coiugium V pauli F *m. 1*, V *corr.*, N: paule D, V *m. 1*, F *corr.* ‖ 13 Num F: Nun V Non D N | immites D V | habui *Itali*: habuit O | parxas F *m. 1* ‖ 14 En ς: Et O | leuatur ς: legatur O ‖ 15 nos F | paludis *Santenius* ‖ 16 impl. D V | ulua *Schraderus* ‖ 17—76 *om.* N (*uno folio interlapso*) ‖ 18 Deprecor *Koppiersius*: Det pater O Da V *m. 2* | huic ς hinc *Itali* | in (*expunx. m. 2*) umbere F ‖ 19 At *Nestor*: Aut O ‖ 20 Is *Heinsius*: In O In me *Fonteinius* | uindicet F: iudicet D V ‖ 21 et *Itali*: *om.* O | minoida ς: minoia O | sellam ς: sella D F sella & V ‖ 22 intendat *Graeuius*

Sisyphe, mole uaces, taceant Ixionis orbes,
Fallax Tantaleus corripiare liquor,
Cerberus et nullas hodie petat inprobus umbras,
Et iaceat tacita laxa catena sera.
Ipsa loquar pro me. si fallo, poena sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per auita tropaea decori,
Nostra Numantinos signa locuntur auos,
Altera maternos exaequat turba Libones:
En, domus est titulis utraque fulta suis.
Mox, ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et acceptas altera uitta comas,
Iungor, Paule, tuo sic discessura cubili,
Ut lapide hoc uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis, Africa, tunsa iaces,
Qui Persem proaui simulantem pectus Achilli
Et tumidas proauo fregit Achille domos:

Var. lect. 23 Sinciphe (*mg. m. 2* Sisiphe) **F** ‖ 24 Tantaleus ς: Tantaleo **O**, *quo seruato* corripere ore *Auratus*; Tantalidae *Passouius* ‖ 25 impr. **D V** ‖ 26 laxa **D V**: lapsa **F** | cathena **F** | fera *Schraderus* ‖ 27 loquar ς: loquor **O** | fallo ς: fallor **O** ‖ 29 per auita, *sic* **O** | trophea decori ς: decora trophei **O** (fama decori **V** *mg. m. 2*) decora trophea ς ‖ 30 *totum* **F** *m. 1 om., add. m. 2* | Nostra (*ob* si cui *oppositum necessarium*) *scripsi*: Et **D V** Aera **V** *mg. m. 2 et hinc* **F** *m. 2* (*cui interpolationi innisus Scaliger male* Afra, *cum nec* Afra Numantinos *bene coeant et Africa u.* 38 *commemoretur*; Versa *Lipsius*) | signa *scripsi*: regna **O** (*cf. Ennii Sat.* 16, 17 *Vahl.*) | loquuntur **D V** ‖ 31 *corruptus*; hisce aequat *Heinsius* (his aequat *Koppiersius*) materni hos exaequant *Heynius* materno se exaequat t. Libone *Jacobus* (materno hos exaequat *Hertzbergius*); *sed et* turba *suspectum*, *in quo fortasse* cera *latet* | libones ς: ligones **O** ‖ 32 En *scripsi*: Et **O** ‖ 33 pretesta **F** ‖ 34 Vinat **F** *m. 1* | adspersas *Itali* adstrictas *Heinsius* | altera] *malim* lanea | uicta **F** ‖ 35 tuos condissessura **F** (tuo sic *corr. m. 2*), tuo non disc. ς, *Huschkius* ‖ 36 Ut *Graeuius*: In **O** (*quo seruato auctore Koppiersio* legor *restituatur oportet*) | huic uni *Marcilius*; *sed cf. Aem. Huebnerus, comment. Momms. p.* 99 | 37 colendos **O**: uerendos ς ‖ 38 tunsa **O**: tonsa ς | iacet ς ‖ 39 Qui *Heynius* (*ad Verg. Aen.* VI 840): Et **O** | persem **O**: persen **F** *m. 2* Te Perseu *Santenius* | simulantem ς: stimulantem **O** | achilli **O**: achillis **V** *m. 2* ‖ 40 Et tumidas *Heynius*: Quique tuas **O** | proauo **O**: proauus **V** *mg. m. 2*

Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
  Labe mea uestros erubuisse focos.
Non fuit exuuiis tantis Cornelia damnum,
  Quin et erat magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas, sine crimine tota est:
  Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas,
  Ne possem melior iudicis esse metu.
Quaelibet austeras de me ferat una tabellas:
  Turpior assensu non erit ulla meo,
Vel tu, quae tardam mouisti fune Cybellen,
  Claudia, turritae rara ministra deae,
Vel cui, sacra suos cum Vesta reposceret ignes,
  Exhibuit uiuos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi:
  In me mutatum quid nisi fata uelis?
Maternis laudor lacrimis urbisque querellis,
  Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam uixisse sororem
  Increpat, et lacrimas uidimus ire deo.
65 Vidimus et fratrem sella in gemuisse curuli:
66   Consule quo, falso tempore, rapta soror.
61 Et tamen emerui generosos uestis honores,

Var. lect. 41 molisse V *m. 1* | nec *ex* et *corr.* F ‖ 42 uestros, *ita* O ‖ 43 Non fuit F *m. 2*, V *mg. m. 2*: Confuit D V Ton fuit F | exuuiis tantis V *m. 2*: exuuii stantis V *m. 1* (D *mg. pro uar. lect.*) eximi stantis D F | damni D, V *m. 1* ‖ 44 et erat O: erat et ς et eram *Itali* | par F ‖ 46 insignes *et* F *et* V *corr.*: insignem O insontes *Burmannus* | 48 Ne possem ς: Ne possis O (possim V *m. 2*) ‖ 49 Quamlibet *Liuineius* | una *Wyngaarden*: urna O umbra *Eldikius* ‖ 50 assensu D V: asensu F ascensu V *m. 2* assessu ς ‖ 51 cibelem F cybellem D V ‖ 52 Claudia V *m. 2*: Gaudia O | tu rite F ‖ 53 cui sacra (s͞ra; *cf.* III 4, 11) suos *scripsi*: cuius rasos O casso *et* extinctos V *mg. m. 2* cui commissos ς | ueste V *m. 2* ‖ 54 Exibuit F | carbasis F *m. 1* | alba, b *ex corr.* F alta D *mg. pro uar. lect.* ‖ 57 querelis O ‖ 59 misisse F, *corr. mg. m. 2* ‖ 65, 66 *ante* 61 *transposuit Koppiersius* ‖ 65 sella in gemuisse curuli *scripsi*: sellam geminasse curulem O ‖ 66 falso *scripsi*: facto O festo *Koppiersius* fati crimine *Broukhusius* Consul quo factus tempore *Lachmannus* ‖ 61 generosae *Burmannus*; *ad* uestis *uocem cf. Aem. Huebnerus l. l. p.* 105 *sqq.*

Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paule, meum post fata leuamen,
64 Condita sunt uestro lumina nostra sinu.
67 Filia, tu specimen censurae nata paternae,
68 Fac teneas unum nos imitata uirum:
71 Haec est feminei merces extrema triumphi,
72 Laudat ubi emeritum libera fama torum.
69 Et serie fulcite genus: mihi cymba uolenti
70 Soluitur aucturis tot mea fata meis.
73 Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Haec cura et cineri spirat inusta meo.
75 Fungere maternis uicibus, pater: illa meorum
Omnis erit collo turba fouenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adice matris:
Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis:
80 Cum uenient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paule, fatiges,
Somniaque in faciem reddita saepe meam:
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsurae singula uerba iace.
85 Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,
Sederit et nostro cauta nouerca toro,
Coniugium, pueri, laudate et ferte paternum:

Var. lect. 62 fata **F** ‖ 63 Tu — tu ς: Te — te **O**; *num ante* 63 *distichon intercidit?* | lapide **F** *m. 1* ‖ 64 uestro *om.* **F**, *add. mg. m. 2* ‖ 67 specimen **V** (**D** *mg. pro uar. lect.*): speciem **D F** ‖ 68 unum *om.* **F**, *supra lin. add. m. 2* ‖ 71, 72 *ante* 69 *posui* ‖ 72 torum *Schraderus*: rogum **O** ‖ 69 fulcita **F** fulgite **V** *mg. m. 2*; *fortasse* Est serie sic fulta domus | cimba **F** ‖ 70 aucturis ς: uncturis **D V** nupturis **F**; *latet aliquid* | meis (*uel* bonis) *Palmerius*: malis **O** auct. non m. f. malis *Graeuius* Soluit lucturis t. m. f. meis *editor Etonensis* Soluit uicturis post m. f. meis *Slothouwerus* ‖ 73 comunia **F** ‖ 75 matrinis **V**, *corr. mg. m. 2* ‖ 76 fouenda *L. Muellerus*: ferenda **O** ‖ 77 matris ς: mater **O** matrem ς ‖ 79 quid **V** *m. 2*: quis **O** | eris ς: erit **O** ‖ 80 fige ς ‖ 81 sint **N**: sunt **O** | fatigas **D V** ‖ 82 reddita *Graeuius*: credita **O** ‖ 84 iace ς: tace **O** ‖ 85 *malim* Si (*uel* Sin) tamen ‖ 86 torua *Heinsius* ducta *alius uir doctus* | thoro **F N** ‖ 87 placati ferte *L. Muellerus*; *et certe* laudate *suspectum*

Capta dabit uestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: conlata priori
Vertet in offensas libera uerba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite uenturam iam nunc lenire senectam,
Caelibis ad curas nec uacet ulla uia.
Quod mihi detractum est, uestros accedat ad annos:
Prole mea Paulum sic iuuet esse senem.
Et bene habet: numquam mater lugubria sumpsi:
Venit in exequias tota caterua meas.
Causa perorata est. flentes me surgite, testes,
Dum pretium uitae grata rependit humus.
Moribus et caelum patuit: sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa uehantur auis.

VAR. LECT. 88 nostris **F** ‖ 89 minus **F**, *corr. mg. m. 2* | conl. **N**: coll. **O** ‖ 91 Nec **F** *m. 1* | cotentus **V** ‖ 92 dixerit **D V** ‖ 93 lenire *Schraderus*: sentire **O** ‖ 94 ualet u. uias **N** ‖ 95 nostros **F** ‖ 97 — 102 *ante* 73 *poni uult Schraderus, similia praeeunte Scaligero* ‖ 97 Si *in ras. m. 2* **V** | nuquam uuquam mater (*sic*) **D** nūquam unquam (*hoc del. m. 2*) mater **V** | lugubria sumpsi ς: lubrica sumptum **O** lubrigia sumptum **V** *m. 2*, **N**; *num* matri lugubria sumpta ? ‖ 99 me] iam *Heinsius* ‖ 102 Cinus **F** | uehantur **V** *m. 2*, **N**: uehuntur **O** | auis *Heinsius*: aquis **F N** (**V** *mg. m. 2*) equis **D V** ‖ *subscriptione caret* **V** Explicit **N** Explicit liber propertii ultimus **F** Propertii Aurelii Nautae Umbri monobiblos liber feliciter explicit *litt. grand. diuersorum colorum* **D**

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Nuperrime Robinso Ellisius in actis litterariis 'The Academy' inscriptis [a. 1879, No. 387, p. 249] fieri posse dixit ut ex codicibus flores poetarum latinorum continentibus excerpta Propertiana protrahantur: extare enim in indice auctorum codici Parisino 15-155 saec. XIII praemisso Propertii nomen, nullo tamen uersuum ex eo desumptorum uestigio in ipso codice relicto. non recte autem uir doctus putat fore ut aliis eiusmodi membranis diligenter in-

uestigatis deprehendantur talia excerpta cum magno criseos emolumento. nam hoc ego, qui haud paucos 'deflorationum' libros mss. meis triui manibus, pro certo affirmo, nullos Propertii uersus nisi duos illos notos 'cedite Romani scriptores' eqs. per medium aeuum uulgo fuisse notos, eosque ipsos cum ex Donati uita Vergiliana tum ex codicibus anthologiae quam uocant Salmasianae uarias partes continentibus. hinc ex. gr. in codice Laurentiano plut. 39, 23 saec. XII fol. 181 inter alia carmina ad Vergilium spectantia uersiculi illi cum hoc titulo *Sext' ppert' de uirgilio* extant. sed praeterea nullam equidem usquam Propertii memoriam medio aeuo fieri memini; et sine dubio in Parisino nil nisi distichon commemoratum olim legebatur.

I 1, 7 **F** 'toto — anno' ita habet ut 'no' in rasura sit; unde **F** a prima manu idem atque **A** 'toto — annis' habuisse conicias. rem, quae me fugerat, aperuit Gustauus Meynckius, qui beneuole mea gratia codicem iterum inspexit.

I 8, 21 **V** quartum a Mauio examinatum apparuit praebere 'ego uita' ex 'ego tuta' correctum, ut hoc in **O** lectum fuisse iam certum sit.

I 16, 38 sero uidi iam Conr. Rossbergium coniecisse illud 'probra'.

II 1, 30 in textu corrige 'Ptolomaeei'.

II 9, 50 in textu dele punctum post 'duces'. — pro 'media' Jacobus proponit 'misera'.

II 18[b], 29 'Deme' (= tolle istas ementitas comas) coniungit Perreius, nec bene per se et anaphorae forma 'mihi — mi' non recta. — ceterum uu. 33—38 alius cuiusdam carminis fragmentum censet Jacobus.

II 20, 9 fortasse praestat pro 'astringat', quod **D V** praebent, reponere 'astringas'.

II 26, 10 adde in notis, **V** *m. 1* quoque 'Quēq;' praebuisse.

II 28, 27 in notis scribe 'semele **O**, *corr.* **V** *m. 2*'.

II 34, 31 emendationem nostram 'tu grauibus Musis meliorem' a Guil. Fuerstenau, cuius 'quaestiones Propertianae' (Rinteln 1845) diu quaesitae nunc demum in manus meas peruenerunt, praeceptam inueni, diuersis licet rationibus fultam. (ceterum nil boni libello illi inest.)

III 17, 37 sq. 'craterae fundent' coni. Orellius.

III 15, 45 **F** 'conscitet' habet.

III 13, 58 iam Jacobum nunc uideo adnotasse '*fortasse* delapsis'.

III 20, 17 'confirmet' coni. Fonteinius.